Brolén, Carl Axel
De elocutione A. Cornelii
Celsi

A. Brolén: De elocutione A. Cornelii Celsi.

UPSALA Akademische Buchhandlung

DE ELOCUTIONE

A. CORNELII CELSI.

SCRIPSIT

C. A. BROLÉN.

Upsala Universitets Årsskrift. 1872.

Philosophi, Språkvetenskap och Historiska vetenskaper. I.

UPSALIÆ

TYPIS EXSCRIPSERUNT EDQUIST ET BERGLUND.

MDCCCLXXII.

De elocutione A. Cornelii Celsi.

Scripsit

C. A. Brolén.

Quisquis linguam aliquam penitus cognoscere volet, ei non satis erit scire, qualis illa apud unum quendam scriptorem aut certa quadam ætate fuerit, sed etiam quærendum erit, qua ratione sit diversis temporibus exculta atque conformata. Neque enim lingua eadem semper atque immutata manet, sed ut populorum animi et mores per hominum ætates multum commutantur, ita linguæ quoque formæ longe diversæ temporum cursu exsistant necesse est. Nam ingenium populi uniuscujusque in lingua quasi suam ipsius imaginem exprimit atque effingit, qua accuratissime declaretur, qualis sit totius populi indoles atque natura. Et quum omnes populi, postquam a fera et agresti vita ad eam, quam assequi possunt, humanitatem et cultum pervenerunt, deinde moribus viribusque corruptis rursus labantur, tum in sermone idem fieri consentaneum est, ut quum a rudi initio ad summam perfectionem adductus est, deinde morum hominum corruptelam sequatur sermonis depravatio. Quare quum valde dissimiles sint quæ diversis temporibus exsistunt sermonis formæ, hæ tamen omnes uno tenore fiant necesse est arctissimoque inter se vinculo contineantur, quippe quarum moderatrix sit ipsius populi indoles atque ingenii vis. Nisi autem hanc totam seriem consideraverit aliquis atque perspexerit, fieri non poterit, ut linguæ vim et naturam recte intelligat.

Iis igitur, qui linguæ latinæ student, omnia quæ ad hoc tempus permanserunt ejus monumenta percensenda sunt, si futurum est, ut intelligant, qualis fuerit lingua unaquaque ætate, et qua ratione consuetudo loquendi mutata sit. Qua de causa in id semper incubuerunt docti viri, ut sermonem singulorum scriptorum perscrutando eos quasi gradus cognoscerent, quibus processisset lingua latina. Neque iis solum scriptoribus studuerunt, quorum aurea vulgo ætas nominatur, et quos con-

stat linguam latinam ad summam perfectionem adduxisse, sed in multos quoque diligenter inquisiverunt eorum, qui quum primorum Cæsarum temporibus essent, nobis declarant, qualis post optimorum illorum ætatem fuerit latini sermonis conditio. Videbant enim his scriptoribus, etiamsi ad illorum præstantiam non accederent, suam tamen laudem tribuendam esse, neque illorum opera sermonem latinum tam fuisse ab omni parte perfectum, ut nihil ultra ab iis addi posset, qui postea litteris studerent. Quare quum hos quoque putarent ad linguam excolendam atque locupletandam multum effecisse, argenteæ illi, quæ vocatur, latinitati cognoscendæ multam operam dederunt. Qua tamen in re quum multa equidem viderem nondum esse satis explanata, neque quisquam, quod scirem, de scribendi genere A. Cornelii Celsi copiosius disputavisset, operæ pretium facturus mihi videbar, si de elocutione ejus aliqua exponere conatus essem. Et quamquam satis intelligebam, hanc rem et multum difficultatis habere et multo majores vires desiderare, quam quæ meæ essent, ideo tamen hoc opus suscepi, quod aliqua ex parte me effecturum sperabam, ut magis cognosceretur, qualis esset sermo hujus scriptoris, quem gravissimum omnes semper judicassent bonæ latinitatis auctorem.

Quum de vita Celsi nihil fere memoriæ proditum sit, tum certis indiciis cognovimus, eum et multiplici doctrina fuisse instructum et mira quadam scribendi facultate de multis variisque rebus libros composuisse; et Quintilianus quidem non dubitat eum in hac re cum Catone, Varrone, Cicerone comparare [1]). Constat igitur eum de arte rhetorica, de philosophia, de re militari, de re rustica, de medicina libros conscripsisse, et putaverunt nonnulli eum historiam quoque et jus tractasse [2]). Ex libris autem ejus, quos videtur in unum corpus comprehendisse, quod *Artes* inscriptum erat, ad nostram ætatem non permanserunt nisi octo de medicina libri. De rhetoricis autem multa affert Quintilianus et quidem sæpe iis, quæ a Celso in hac arte præcepta sunt, adversatur neque omnino videtur ei multum admodum laudis tribuere. Eodemque teste [3]) scimus, Celsum in philosophia Sextios, qui Stoicorum maxime disciplinam amplexi sunt, secutum non sine cultu ac nitore multa conscripsisse. Atque ex libris, quos de re rustica conscripsit, satis multa Columella attulit, ipse ea magna ex parte pro-

[1]) Quint. Inst. or. 12, 11, 23.
[2]) Vid. quæ de his rebus copiose disputavit C. Kisselius, «A. Corn. Celsus, eine historische Monographie.» Giessen 1844.
[3]) Inst. Or. 10, 1, 124.

bans summaque laude auctorem efferens. Quum autem de libris, quibus rem militarem tractavit, nihil fere cognoverimus, neque ex iis ceterorum librorum fragmentis, quæ commemoravi apud alios scriptores inveniri, de elocutione Celsi conjicere liceat, nobis ex illis qui exstant de medicina libris judicandum est, quali usus sit scribendi genere. Quæ quum ita sint, antequam de elocutione Celsi dicam, de argumento horum librorum aliqua disputabo.

Medicina igitur quum apud Romanos antiquitus esset exercita, rudis etiamtum multaque et varia superstitione imbuta, ut omnia fere litterarum genera neque ad artis et disciplinæ similitudinem accessit, neque ullum majus cepit incrementum, antequam cognoverunt Romani sibique assumpserunt ea, quæ a Græcis erant in hac arte effecta. Hi enim non in medicina minus quam in ceteris fere artibus Romanis multo præstabant multis atque præclaris rebus scite inventis diligenterque exscriptis, quarum, postquam frequentabatur magis inter duos populos commercium, Græci medici Romam attulerunt cognitionem. Primus autem eorum traditur fuisse Archagathus quidam, quem anno ante Chr. 219 Romam venisse dicunt. Neque tamen huic contigit, ut Græcorum medicinam Romanis commendaret, neque omnino peregrinæ illi arti facile aditus patuit. Nam non defuerunt, qui aut metu aut contemptu et odio ducti summo opere niterentur, ut Romani peregrina illa aspernati iis uterentur, quæ ipsi ad curandos morbos invenerant. Inter eos autem, qui arti a Græcis allatæ restiterunt, præcipuum locum tenet Cato, acerrimus ille patrii moris defensor, contra Græcorum obtrectator acerbissimus. Cujus verba affert Plinius [1]): «quandoque ista gens (Græcorum) suas litteras dabit, omnia corrumpet; tum etiam magis, si medicos suos huc mittet. Jurarunt inter se barbaros necare omnes medicina, et hoc ipsum mercede faciunt, ut fides iis sit et facile disperdant.» Ipse autem Cato satis aperte declarat, qualis fuerit vernacula illa medicina, quum in libris, quos de re rustica conscripsit, superstitionum medicamentorumque mentionem facit, quibus hominibus et pecori salutem petebant antiqui. Neque vero in hac arte magis quam in ceteris fere omnibus Romani elegantiori Græcorum humanitati atque doctrinæ resistere potuerunt, sed cognitis magis magisque iis, quæ Græci excogitaverant, peregrinam medicinam assumpserunt. Venerunt Romam nobilissimi medici, qui magna felicitate et summo populi assensu artem exercebant. Et Celsus quidem auctor est (in prooemio libri primi, initio pag. 3) [2]), per Asclepiadem, celeberrimum medicum, quem

---

[1]) Hist. nat. 29, 1, 14.

[2]) In locis Celsi afferendis Darembergii editionem (Lips. Teubner. 1859)

amicitia Licinii Crassi usum esse Cicero testatur [1]), et per Themisonem maxime medicinam apud Romanos increvisse. Imperante autem Augusto scimus Græcos medicos M. Artorium et Antonium Musam summa laude floruisse.

Celsus autem primus medicinam latinis litteris tractare instituit eaque latine exponere, quæ a Græcis erant in hac arte inventa, quo facilius et planius intelligerent populares, qualia essent ea quantoque veteri illi superstitioni præstarent. Et licet in hac re Celsum cum Cicerone comparare, quum in medicina idem hic vellet efficere, quod ille in philosophia. Uterque enim novam artem latinis litteris primus mandavit, utrique id erat propositum, ut Græcorum inventa dilucide exponeret et ita, ut ab omnibus intelligerentur.

Græcis igitur exemplaribus Celsus usus est et ex iis ea elegit, quæ maximam civibus utilitatem allatura esse putabat. Neque tamen si alios secutus est eaque proposuit, quæ apud alios invenit, ideo quidquam videtur de laude ejus esse detrahendum. Quum enim nihil fere esset a Romanis in medicina effectum, ei necesse erat ea assumere, quæ apud Græcos exposita invenit; tum vero ita ille alios secutus est, ut suo idem judicio staret. Nam quum ex uberrima illa, quæ Græcorum erat, copia ea essent eligenda, quæ maximi momenti verique simillima esse viderentur, in hac re tanta doctrina tantaque prudentia utitur, ut appareat in eo fuisse non solum eorum, quæ a Græcis effecta erant, accuratam cognitionem, sed etiam scientiam medicinæ aliunde comparatam satisque firmum de iis, quæ ad hanc artem pertinebant, judicium. Nam et de totius medicinæ conditione vere atque excelse sentit, ut ex prooemio libri primi præcipue apparet, ubi inter eas, quæ tum erant, medicorum sectas prudentissime dijudicat (cfr lib. II cap. 6 fin.), et aliis locis proponit, qualis bonus medicus esse debeat (velut in prooemio libri VII), contra malos et eos, qui quæstui serviunt, vehementer castigat (III, 4 p. 80; V, 26, 1). Compluries autem postquam attulit, quid de morbis et curationibus alii judicarent, refutatis eorum rationibus, quid ipse sentiat, exponit. Neque ea solum affert, quæ vel litteris mandata invenerat vel medicorum usu comprobata, sed nonnullis locis ea quoque tradit curandi genera, quæ a plebe usitata, si prodesse minus possent, tamen nihil periculi habere viderentur (III,

---

maxime secutus sum. Inspexi autem etiam ed. Targæ (Lugd. Batav. 1785) et eam, quam fecerunt Albers et Ritter (Colon. 1835). Quum autem in nulla harum edd. capita nisi quibusdam locis in sectiones divisa sint, et hæ quoque interdum sint longiores, ego, ubi difficilius videbatur esse locos allatos invenire, apposui paginæ quoque et lineæ numeros ex edit. Daremb.

[1]) De Orat. 1, 14, 62.

23 fin. IV, 7 fin. IV, 13 med.). Atque ambigitur quidem inter doctos viros, num ipse quoque Celsus medendi artem professus sit, neque ex iis locis, qui ex libris ejus afferuntur [1]), satis apparet, utrum et ipse artem exercuerit, an per libros et aliorum experimenta didicerit. Utcumque autem est — neque equidem hanc quæstionem magni momenti esse putaverim — certe libros suos ita composuit, ut etiamsi artem profiteri noluerit, eum tamen potuisse profiteri facile omnes concedant. Atque altera quoque res est, qua comprobatur, Celsum aliorum opinionibus non addictum fuisse, sed et suo judicio stetisse et de medicina optime esse meritum. Neque enim in eligendo solum summa doctrina atque prudentia usus est, sed ita etiam putabat se maxime civibus suis et arti medicinæ profuturum, si ea, quæ vel medici litteris mandassent vel aliunde hominibus salutaria esse comperisset, non solum enumeravisset, sed in certa quædam genera diducta et in unum disciplinæ corpus collecta exposuisset. Itaque ea quæ affert ita perite composuit accurateque distribuit, ut et Græcos, qui ante eum fuerant, facile superaret et primus medicinam ad certam artis atque rationis formam redegisse putandus sit. Quo factum est, ut in Celsi libris potiorem antiquæ medicinæ partem breviter et accurate comprehensam dilucideque enarratam inveniamus [2]).

Quibus de causis quum inter eos, qui medicinæ student, nomen ejus semper magnum fuerit, tum vero scribendi arte æque excellit, ceterosque qui Romæ exstiterunt medicinæ scriptores non magis argumentorum copia et præceptorum gravitate superat quam sermonis nitore atque elegantia. Ad quod illud quoque spectare credo, quod cognomen ei inditum est *medicorum Cicero.* Neque difficile est videre, quanto Celsus ceteris præstet medicinæ scriptoribus. Qui enim non multi ad nostram ætatem pervenerunt libri ab aliis de medicamentis et eorum compositione conscripti, et plerique ex infima linguæ latinæ ætate sunt, et quia in vita quotidiana continuo usu adhibebantur et frequenter ab indoctis hominibus describebantur, tam sunt depravati tamque pessimis rebus et sermone inquinatissimo referti, vix ut intelligi possint neque certe ullo modo cum perspicuitate et elegantia Celsi comparari. Jam vero hujus sermonem quanta secuta sit admiratio, ex hoc quoque intelligitur, quod quum non constaret, quo tempore natus esset, multi fuerunt, qui eum aureæ, quæ vocatur, ætati adnumerandum esse censerent. Quod quamquam minus ex elocutione ejus quæsita ratione quam

---

[1]) Vid. Kissel., l.l. pag. 117 sqq.

[2]) Cfr Ritter. in prooem., Hecker., «Geschichte der Heilkunde», Berolin. 1822. I. pag. 431.

aliis argumentis permoti fecerunt, tamen non dubito, quin facturi non fuerint, nisi sermonem ejus eum esse putassent, qui ad optimam latinitatem proxime accederet. Et Bianconius quidem contendit, vitam ejus esse ad primos annos Augusti Cæsaris referendam atque ad «florentissimum aurei sæculi apicem» [1]). Contra multi recentiorum refutatis rationibus allatis a Bianconio et ab iis, qui eum secuti sunt, Celsum Tiberio imperante fuisse putant argenteæque ætati adnumerant [2]). Atque si ad elocutionem Celsi respeximus, quum difficile sit ex ea certe colligere, utrum rectius fiat, id tamen satis videtur constare, eam in libris ejus expressam esse bonæ latinitatis formam, quæ aut ad exeuntem auream ætatem referenda sit, aut incipienti argenteæ adnumerari debeat. Neque enim ætates illæ, quibus dirimi solent scriptores latini, tam sunt arctis et fixis circumscriptæ finibus, ut non sit in unaquaque summæ varietati locus. An quemquam fugit argentea illa ætate, cui Celsum quoque adnumerandum esse censeo, scriptores comprehendi non ingenio solum sed etiam scribendi genere valde dissimiles? Sunt autem eædem laudes omnibus non concedendæ, neque si unus et alter multis magnisque vitiis laborat, idcirco eodem modo est de omnibus judicandum. Et Celsi quidem sermo non magis videtur a Ciceronis et Cæsaris numerosa illa et plena magnificentia distare, quam a rhetorico fuco et corrupto genere posteriorum.

Jam si quis de sermone scriptoris judicaturus est, id erit præcipue considerandum, in quo litterarum genere ille versatus sit et quid scriptis suis maxime efficere voluerit. Inde enim scribendi ratio scriptori repetenda est, suaque, ut ait Quintilianus, cuique generi proposita lex, suus cuique decor est [3]). Atque quum ex iis, quæ de argumento librorum Celsi exposui, appareat, id eum spectasse, ut Græcorum medicinam Romanis commendaret, genus quoque dicendi sequeretur necesse erat, quod ad id esset maxime idoneum. Quare neque ad oratorum splendorem et magnificentiam ascendit neque orationi ornandæ et ad rhetorum morem conformandæ studuit, sed submissius quoddam et purum atque candidum genus assumpsit, quod ad artis præcepta tradenda aptissimum esse videretur. Non igitur apud eum inveneris Ciceronis elocutionem grandem et altius exaggeratam aut longiores illas et quasi rotundas verborum ambitus. Studio enim ductus res breviter ac dilu-

---

[1]) Joannis Ludovici Bianconii Epistola de Celsi ætate. Inest in editione Targæ. Lugd. Batav. 1785.

[2]) Ita Schilling, Quæstio de Cornelii Celsi ætate, Lips. 1824. Bernhardy, Grundriss der Römischen Litteratur. Ritter, l.l. in prooemio. Kissel., l.l. pag. 57 sqq.

[3]) Inst. Or. 10, 2, 22.

cide proponendi, enuntiatis apte et artificiose connectendis non admodum inservit. Contra sæpe ubi facile erat numeroso ambitu verba concludere, sententias adnumeravit potius et particulis copulativis, adversativis, conclusivis adjunxit — frequentissimus autem est usus particularum *ideo*, *ideoque* —, quam ita collegit, ut altera primaria, altera secundaria esset. Simpliciter igitur, accurate, subtiliter omnia exponit, perspicuitatem maxime sectatur, semper ita dicit, ut non ab iis solum, qui artis periti sunt, sed ab omnibus possit intelligi. Atque ad res dilucide explicandas multum illud affert, quod dixi eum ad unam et certam rationem omnia revocasse. Accuratissima igitur est apud eum rerum dispositio, semperque plane indicat, de quibus rebus dicturus sit, ita ut legenti facile sit invenire, quo nexu cum ceteris rebus contineantur ea, quæ unoquoque loco exposita sunt, et quid momenti habeant ad totius medicinæ rationem explicandam.

Quum autem Celsus quæcumque ad medicinam pertinerent persequi vellet omniaque, quæ salutaria accepisset, comprehendere [1]), fieri non potuit, quin interdum in talibus rebus versaretur, quæ nullam orationis varietatem aut jucunditatem admitterent; velut ubi morbi, vulnera, curationes accurate essent describenda, ubi in libro quinto et sexto medicamentorum genera et vires tractaret. Talibus igitur locis si, rebus ipsis cogentibus, jejuna et arida fieret oratio necesse erat, contra ubi in nudis præceptis tradendis non versatur, sed aut de conditione artis universæ loquitur aut historiam ejus tradit aut officia exponit eorum, qui eam profitentur, relicto tenui illo genere orationem assumpsit magis copiosam et quæ summa suavitate et æquabilitate fluat. Cujus rei exemplum luculentissimum est prooemium libri primi, quo haud scio an nihil umquam dici possit elegantius. Atque omnino confitendum est, sermonem ejus magnam elegantiam esse consecutum, si quidem eleganter dictum est, quod apte, breviter, dilucide.

Quæ quum ita sint, equidem non intelligo, quibus causis ductus Kisselius [2]) in libris Celsi rhetoricum quendam colorem deprehendere sibi visus sit. Immo a luminum et ornamentorum consectatione, a studio nimis elaboratæ concinnitatis, ab omni argutiarum aucupio tam liber est, ut numquam aut aliis verbis aut pluribus usus esse videatur, quam quibus opus erat ad res dilucide explicandas. Numquam verba audacius transfert, numquam aurium voluptati nimis studet neque sententiarum et locorum communium ubertati inservit, sed prorsus carere videtur vitiis illis, quæ ut vulgo totius argenteæ ætatis propria esse

---

[1]) Cels. IV, 18, 1.
[2]) L.l. pag. 7.

dicuntur, sic apud quosdam præcipue scriptores inveniuntur, qui huc pertinent. Quare Celsus inter argenteæ ætatis scriptores potius videtur ad Senecam rhetorem, Columellam, Suetonium prope accedere, quam cum Seneca philosopho vel cum Plinio minore esse comparandus.

Ei autem magnæ laudi tribuendum esse, quod genus scribendi assumpsit et elegantia præstans et ad docendum accommodatum, apparebit, si cum eo comparaverimus eos, qui non multo post eum in rebus naturæ describendis versabantur, Pomponium Melam et Plinium majorem. Quum enim illius orationem nimis florentem et artificiosam invenimus, quibus rebus fit, ut dilucidæ et accuratæ rerum expositioni noceatur, tum apud Plinium obscuritatem præsertim et duritatem reprehendimus. Contra apud Celsum omnia pura et candida sunt et ad res quasi sub oculorum aspectu ponendas aptissima.

Quod autem Celsum dixi in rebus exponendis brevitate quadam uti, hæc tamen brevitas nusquam fere ea est, quæ perspicuitati orationis officiat. Multa etiam, quæ huc pertinent, ad consuetudinem eorum, qui artes tradunt, possunt revocari. Solent enim præcepta quam brevissime comprehendere eaque fere omittere, quæ etiamsi non posita sint, facile tamen intelligi credant. Celsi autem brevitas quo facilius appareat qualis sit, exempla nonnulla afferam:

Subjectum sententiæ nonnullis locis omissum est, ubi ex universo sententiarum connexu audiendum est aut paulo longius repetendum. Quod sæpisse fit, ubi de ægro homine sermo est, velut III, 18 p. 101 extr. III, 24 p. 116. IV, 2 p. 124 extr. IV, 22 p. 148, 10. IV, 23 p. 149, 10. IV, 24 p. 150 in. IV, 28 extr. VI, 17 in. VIII, 20 p. 359, 23. Cfr V, 18, 23 (*aliquis* vel *medicus*). Sæpe etiam fit, ut brevitatis causa pro substantivo ponatur pronomen demonstrativum, quum longius absit id, ad quod referatur. Dicitur fere de ægro homine, velut II, 6 p. 36, 23 *is*. Cfr II, 17 p. 63, 24. III, 7, 1 p. 89, 8. III, 18 p. 102, 16. VII, 20 p. 301, 11. VII, 26, 5 p. 312, 32. ibid. p. 313, 35. VII, 30, 3 extr. VIII, 4 p. 336 extr. — VII, 7, 6 p. 275 extr. *ipsi*. VII, 7, 15 p. 282 extr. *ipso*. VII, 26, 5 in. *eum*. VII, 30, 1 p. 319, 17. VII, 29 extr. *illa*. VIII, 10, 2 p. 347, 8 *ipsius*. VIII, 22 *his*. Cfr III, 2 p. 76 in. *ejus*, *is* (morbus). III, 12 p. 94, 9 *is* (horror). IV, 31 p. 157 in. *ejus*, *id* (malum). V, 28, 2 extr. *id* (ulcus). VII, 10 extr.

Est apud alios quoque scriptores ellipsis substantivi in talibus locutionibus, quales sunt: *tertiana*, *quartana* (febris), *bubula*, *suilla* (caro), *frigida* (aqua) [1]), *passum* (vinum), *secundæ* (membranæ).

---

[1]) Hæc ellipsis apud Celsum est uno loco IV, 12 p. 137, 4. Contra

Nihil aliud quam elliptice positum est, ut apud Livium fit et scriptores qui post eum sunt, V, 27, 5 extr.: *Cognovi tamen medicos, qui ab scorpione ictis nihil aliud quam ex brachio sanguinem miserunt.* VII, 21, 2. VIII, 8, 2 extr. VIII, 10, 4.

Verba quoque quædam absolute ponuntur:

Adhibere III, 20 p. 104, 29: *Si expergiscitur, adhibere ei ut sopito supervacuum est.*

Adjicio IV, 20 p. 146, 13: *adjicit periculo vomitus biliosus.* III, 21 p. 108, 22. VII, 4, 4 p. 268, 29. VII, 21, 1.

Agere (sc. vitam) I prooem. extr.: *His propositis primum dicam, quemadmodum sanos agere conveniat.* Ibid. p. 12, 8. III, 5 extr. IV, 5 p. 126, 36. Eodem modo *degere* II, 18 p. 65, 14: *Atque eæ quoque (aves), quæ in aqua degunt.*

Repetere usurpatur eadem signif. a. *redire*, qui usus apud nullum scriptorem præter Celsum exstat, si lexicis credendum est. II, 1 p. 28, 33: *(morbi) tunc maxime et inchoantur et repetunt.* II, 8 p. 48, 5: *(febris) quamvis quieverit, tamen repetit.* III, 22 p. 110, 20. IV, 11 p. 134, 21. IV, 21.

Respondere (sc. exspectationi) i. s. q. *id quod spectatur efficere* vel tale quid. I prooem. p. 6, 23: *diligentes homines notasse, quæ plerumque melius responderent, deinde ægrotantibus ea præcipere coepisse.* Ib. p. 9, 8: *fortasse responsurum fuisse id, quod aliquis esset expertus.* Ib. p. 6, 11. Ib. p. 9, 15. IV, 11 p. 135, 4, sæpius. Lucr. Col. Sen. Quint. hoc verbo absolute usos esse, in lexicis annotatur.

Cum brevitate dicitur I, 2 p. 14, 15: *minimeque nubilo coelo soli aperienti* (sc. nubila) *se committere.* VIII, 20 med.: *Sed ut hæc falsa opinio est, sic illud verum est, quum ibi valentissimi nervi musculique sint, si suum robur habent, vix admittere* (sc. curationem s. ut femur reponatur), *si non habent, postea non continere* (sc. repositum femur). VIII, 25: *atque in his quoque diligenter esse agendum, ne præcipitarent* (sc. hæc mala ægrum hominem).

Brevitati orationis eo quoque consulitur, quod duo substantiva præpositione sola junguntur. Hoc in talibus fere locutionibus fit, quæ ad artem exponendam maxime pertinent, et prorsus est ad consuetudinem eorum, qui artes tradunt, accommodatum. Velut I, 3 p. 20, 25 *post cibum quies* (cfr proxima linea: *motus qui post cibum est).* II, 1 p. 29 in. *aqua inter cutem* (sæpius). Cfr III, 21 p. 107 extr. *utilis*

---

apud Plinium majorem sæpissime fieri, ut ad verba *calida, frigida* audiendum sit *aqua*, auctor est Grasberger, «De usu Pliniano», Wirceburgi 1860.

quotidianus aut altero quoque die post cibum vomitus est. VII, 26, 5 fin. *ante nonum diem vomitus bilis.*

De adjectivis substantivorum loco positis infra loquar.

Brevitatis Celsi his exemplis allatis, etiam annotandum hoc loco puto, contra inveniri apud Celsum nonnullas locutiones, in quibus pleonasmus quidam videtur inesse: *præcipue omnium* I prooem. p. 2, 6. II, 33 in. — *Tum deinde* III, 6 p. 86, 6. IV, 22 extr. IV, 26 p. 152, 9. V, 28, 1. VI, 6, 29. VII, 14 p. 291, 18. VIII, 4 p. 334 extr. — *Deinde postea* III, 4 p. 80, 33. V, 28, 14 extr. VII, 18 p. 295, 31. — *Postea deinde* VII, 8. — *Ante præcedere* I prooem. p. 12, 6. II, 1 p. 29, 33. — *Ante providere* V, 27 p. 201, 19. — *In futurum præsagire* II, 2 extr.

Jam hæc de elocutione Celsi universa locutus, primum qualis in verborum delectu fuerit, ostendere conabor, et quæ maxime apud eum sint verborum significationes atque structuræ, veteribus scriptoribus non usitatæ; deinde de syntactica ejus ratione disputabo; postremo de particularum usu aliqua afferam.

Atque quum Celsus disciplinam traderet antea latinis litteris non multum aut nihil omnino tractatam, multa ei verba deessent necesse erat, quibus significarentur res hujus artis propriæ. Quod ipse quoque testatur nonnullis locis (V, 26, 31. VI, 18, 1. VII, 18 p. 296 in. ibid. p. 296, 28. VIII, 1 p. 324, 29). Quare sæpe coactus erat græca nomina assumere earum rerum, quæ ad medicinam pertinent, quorum magnam partem græcis litteris exarata in libris ejus invenimus, multa latinis, aut servata peregrina forma, velut *parotidas* (accus.), *soreos* (gen.) cet., aut, quod sæpius fit, ad latinæ linguæ rationem immutata, velut *collyrium*, *emplastrum*, *enneapharmacum*, *gargarizare*, *hyssopus*, *tetrapharmacum*, *thymium.* Contra ubi vel exstabant latina verba ad res nominandas apta, vel facile fingi poterant, a græcis videtur abstinuisse.

At vero latina apud Celsum sunt permulta verba, quæ præter eum aut apud neminem scriptorem inveniuntur, aut nisi apud poetas in vetere latinitate non exstant, aut ei sunt cum posterioris ætatis scriptoribus communia. Sunt autem magna ex parte aut ea, quæ res medicinæ proprias significant, velut *delirium*, *destillatio*, *ductio*, *mistura*, *pastillus*, *profusio*, *resolutio*, *suffusio*, *suppuratio* cet., aut ea, quibus opus erat ad morbos et curationes describendas, velut

substantiva: *fissura*, *frictio*, *fricatio*, *marcor*, *perflatus*, *scissura*, multa herbarum et plantarum nomina, cet.;

adjectiva, quæ colorem, saporem, formam cet. significant: *albidus*, *decolor*, *perpallidus*, *perviridis*, *subalbidus*, *sublividus*, *subniger*, *sub-*

ruber, *subrubicundus*, *subviridis*, *suppallidus*; *prædulcis*, *subsalsus*; *carnosus*, *enodis*, *percrassus*, *permacer*, *resimus*, *semicirculus*, *subrotundus*, *suppinguis*; *biliosus*, *fæculentus*, *jurulentus* cet.;

verba: *circumpurgare*, *decolorare*, *deradere*, *emacrescere*, *exsaniare*, *extorrere*, *incoquere*, *infriare*, *inungere*, *percolare*, *perflare*, *singultire*, *soporare*, *suffumigare*, *supercontegere*, *supercrescere*, *superdare*, *superillinere*, *superincrescere*, *superinungere*, *superjacere*, *supernasci*, *transsuere*, *spissescere*, *intumescere* cet.

Atque nonnullis etiam vocibus, quibus etiam superiores solutæ orationis scriptores usos fuisse scimus, apud Celsum nova vis subjecta est, translata ad medicinam earum significatione. Velut *abscedere*, *abscessus*, *accessio* (i. a. impetus febris), *compositio* (i. a. medicamentum compositum), *curatus* (i. a. purgatus, græce *τεθεραπευμένος*), *dejectio*, *descendere*, *desidere*.

Quod autem partem horum et talium verborum, ad medicinæ usum spectantium, apud neminem ante Celsum scriptorem inveniri dixi, si eorum ipse Celsus aliqua nova effinxit, hoc certe ei laudi tribuendum est, quod novis verbis inventis sermonem latinum locupletiorem reddidit. Neque tamen eum multa vocabula novasse putaverim, quum potius credibile sit, eorum plurima ante eum vel in sermone hominum fuisse, vel in permultis iis, quæ perierunt, latinæ linguæ monumentis. Hoc autem quam facile evenire potuerit, ut multa Celsiana verba apud superiores scriptores, quorum libri permanserunt, non exstarent, nemo non videt, quippe quum illorum plurimi in rebus prorsus diversis exponendis longe aliam desiderarent vocabulorum copiam, quam is qui artem medendi traderet. Sive autem sunt hæc verba a Celso ipso novata, sive ante eum quoque exstabant, non dubium est, quin bonæ latinitatis sint, quum ad indolem et naturam linguæ latinæ accuratissime conformata esse videantur. Quæ quum ita essent, verebar, ne operam perderem, si omnia ea vocabula enumerare conatus essem, quibus ante Celsum aut nemo scriptor aut poetæ solum usi esse viderentur; præsertim quum exstaret lexicon Celsianum, a Georgio Matthiæ summa industria conscriptum [1]), unde si quis in hanc rem vellet inquirere, cognoscere liceret. Atque ne id quidem suscipiendum mihi esse putavi, ut ea vocabula, quæ solus Celsus usurpare videretur, ab iis distinguerem, quæ ei essent cum aliis scriptoribus communia.

Quare ego, omissis fere iis vocabulis, quæ ad artem exponendam maxime videntur pertinere, nunc ea verba easque verborum significationes atque structuras proponam, quibus utendo Celsus a veterum

[1]) Inest in edit. Targæ, Lugd. Batav. 1785.

consuetudine et præsertim a Ciceronis et Cæsaris nonnihil discessisse videatur. Quæ verba litterarum ordinem secutus afferam.

Acuere in passiva forma de morbis usurpatur II, 8 in. *Ex suppurationibus vero eæ tolerabiles sunt, quæ in exteriorem partem feruntur et acuuntur.* *Acutus* ita sæpissime. Cfr Hor. sat. 2, 3, 163. epist. 1, 6, 28.

Adurgere uno loco est VII, 12, 1 fin. (Hor. carm. 1, 37, 16 sqq.)

Affectus sæpe dicitur de corporis morbo vel statu minus commodo, velut I, 9 in. *concoctio, sicut in omnibus corporis affectibus, necessaria est.* II, 1 p. 29, 22 *Ceteri venti quo huic vel illi propiores sunt, eo magis vicinos his illisve affectus faciunt.* Præter Celsum nemo scriptor, si lexicis credendum est, hoc verbum de corpore usurpavit.

Amare duobus locis subjecto rem significanti apponitur: II, 14 p. 59, 21 *Amat autem hoc auxilium valetudo longa.* III, 21 fin. *Balneum rarum res amat.* Ita locuti sunt Sall., poetæ, posteriores.

Anterior, qua voce usi sunt infimæ ætatis scriptores, uno loco est VIII, 9, 2: *ut homo in anteriorem partem subinde nitatur.*

Aspredo V, 28, 2 p. 206, 27, *aspritudo* sæpe dicitur pro *asperitate*, quæ forma a veteribus scriptoribus usurpata apud Celsum uno loco est: VI, 5, in.

Aucupium pro carne avium captarum dicitur uno loco: II, 26 fin. *Minima inflatio fit ex venatione, aucupio, piscibus* cet.

Aura, quæ vox poetarum fere est neque a Cicerone nisi translata significatione usurpatur, propria notione dicitur I, 2: *auras fluminum et stagnorum.* Krebsius (Antibarbarus s. v.) contendit, pluralem numerum hujus vocis apud poetas solum inveniri.

Auricularius præter Celsum habent infimæ ætatis scriptores.

Cedere pro eo quod est apud Ciceronem *procedere* Celsus habet nonnullis locis, velut II, 17 p. 63, 16 *si priora recte cesserunt.* Ita Sall. Nep. Liv. posteriores.

Celeber de hominibus Ciceronis ætate non usurpatum fuisse, Krebs. s. v. auctor est. Cels. prooem. libri VII: *multique alii celebres viri.*

Circumcidere translata significatione i. s. q. *interdicere* IV, 27, 1 p. 153, 21 *circumcidendum vinum est in totum annum.* IV, 32 *circumcisa omni negotiosa cogitatione.* VI, 9 in. *vinum ex toto circumcidendum est.*

Circumspectus pro *prudenti* usurpant argenteæ ætatis scriptores. Cels. III, 9 fin. *Sed est circumspecti quoque hominis et novare interdum et augere morbum.*

Coepi infinitivo non addito sæpe usurpatur, ut apud Sall. Liv. posteriores, velut *febris*, *dolor* cet. *coepit*, *vitia coeperunt* cet. Neque Celsus nisi activa forma hujus verbi utitur, etiam ubi ei infinitivus passivæ formæ et significationis adjungitur. I prooem. p. 2, 5 *agitari coepit.* Ib. p. 12 in. *premi coepisse.* IV, 31 in. *sentiri coeperunt.* VII, 26, 2 p. 309 fin. *adduci coeperit.* Hic usus apud poetas veteres, Ciceronem, Cæsarem nusquam invenitur, a posterioribus jam inde a Livio frequentari coeptus est. Et Tacitus quidem semper ita locutus est [1]).

Cognominare, argenteæ ætatis vox, apud Celsus est nonnullis locis, velut V prooem. *Apollonius qui Mys cognominatus est.* Cicero *verba cognominata* dicit, ut latine vertat græcum *συνώνυμον*.

Comprehendere eodem modo atque *concipere* de muliere dicitur V, 21, 7. Hujus rei nullum præter hoc exemplum afferunt lexica.

Concipere non appositis vocibus *animi* vel *mentis*, id quod apud veteres script. fieri solet, i. fere s. q. *putare.* I prooem. fin. *Ob quæ concipio*, *eum*, *qui propria non novit*, *communia tantum intueri debere.* III, 4 p. 79, 1 *qui per omnia jucundam ejus disciplinam esse concipiunt.* VII prooem. fin. *Ego eundem quidem hominem posse omnia ista præstare concipio.* III, 6 p. 86, 14. IV, 1 p. 122, 20.

Conferre, ut apud argenteæ ætatis script. fit, i. s. q. *prodesse*, *vim habere*, et absolute positum et sequente *ad.*

Consulere cum adverbio conjunctum I, 3 p. 19, 33: *melius consulet, si biduo continuarit.* Krebs. s. v. negat Ciceronem huic verbo adverbium apponere; vid. tamen Att. 7, 13, 3.

Consummatio, vox argenteæ æt., uno loco I, 3 fin. *consummatio omnium nocet.*

Contemplatrix præter Celsum apud Appulejum est. I prooem. p. 10, 7 *eorumque*, *quæ in morbis communia sunt*, *contemplatricem (medicinam) esse contendant.*

Continuare intransitiva vi pro eo quod est *manere* solus Celsus videtur usur pare. II, 1 p. 30, 5 *At si a prima hieme austri ad ultimum ver continuarunt.* II, 4 p. 34, 25 *Pessimum est*, *si ne levatur quidem febris, sed æque concitata continuat.* Ib. p. 34, 1 *pejusque*, *quo magis sopor interdiu noctuque continuat.* Ib. p. 34, 23 *quæve (febres) sic continuent, ut per accessiones increscant*, *per decessiones tantum molliantur.* III, 3 p. 77, 27 *ac sæpe aliæ vix quidquam aut nihil remittunt sed continuant*, ubi tamen Daremb. duo postrema verba excludit.

Convulnerare præter Celsum habent fere argenteæ ætatis scriptores.

---

[1]) Dræger, «Historische Syntax der lateinischen Sprache», Lips. 1872. pag. 137 sqq.

Corripere de morbis usurpatur ut idem sit atque *ad mortem præcipitare* v. t. q., quæ significatio invenitur apud poetas et posteriores scriptores. III, 7, 1 *Nam quo celerius ejusmodi tempestates corripiunt, eo maturius auxilia — rapienda sunt.* III, 27, 1 in. *ac si correpti non sunt, diutius quidem vivunt, sed raro tamen ad sanitatem perveniunt.* VI, 18, 9 *subitis et gravissimis morbis correpti sunt.*

Curvare VIII, 1 p. 326, 6 et eadem pag. l. 31. Hoc verbum non usurpant nisi poetæ atque argenteæ æt. script., nam Cic. N.D. 1, 24, 66 mutanda lectio est; vid. Madvigium ad Cic. Fin. 1, 18, 61.

Curvus, poetica fere vox, quam in prosa oratione, nisi Plin. epist. 5, 21, 6, inveniri negat Krebs. s. v., apud Celsum est VII, 31 in. VII, 32. VIII, 1 p. 325, 11. VIII, 16 in. — V, 26, 5, qui locus a Matthiæ in lexico affertur, nunc scriptum est *in orbem* pro *curva.* Invenitur autem hæc vox etiam Sall. hist. 4, 35 [1]).

Debere. Insolentiorem significationem huic verbo subjicit Celsus, ut idem sit atque *naturæ convenire* v. t. q. III, 22 p. 111, 21 *Fereque id posse inter principia corpus pati debet* i. a. verisimile est. (Cfr Ovid. met. 13, 876 *Tantaque vox, quantam Cyclops iratus habere Debuit, illa fuit).* II, 6 p. 37, 16 *eo tempore, quo ebrietas solvi debet.* III, 24 in. *in quibus (oculis) quod album esse debet, fit luteum.* VIII, 9 in. *ab uno et vicesimo die, quo utique os esse debet glutinatum.* II, 4 in. *signum malum est somno ultra debitum urgeri* i. a. ultra modum justum.

Desinere sæpissime non apposito infinitivo dicitur de *dolore, febre, inflammatione* cet., quare mirum est, Krebsium dubitare, num latine dicatur *morbus desinit* pro eo quod est *abit, discedit.* Numquam autem Celsus usurpat passivam formam hujus verbi, sed passivi quoque infinitivo activam formam apponit, velut *ali desiit, ferri desiit.* Cfr quæ de verbo quod est *coepisse* annotavi, et Dræger. l.l. pag. 137 sqq.

Quum Celsus sæpissime utatur forma *difficulter*, uno loco pro adverbio habet *difficile*, quæ forma raro et apud posteriores exstat. VIII, 10, 1 p. 345, 13: *sub qua (inflammatione) et difficile et periculose vis nervis adhibetur.*

Digerere non solum dicitur de cibo et de unaquaque materia in corpus dissipanda, velut IV, 29 *quo facilius ea, quæ coeundo nocuerunt, digerantur;* et de toto corpore, ut idem significet quod *fluidum reddere, resolvere*, velut I prooem. p. 10, 1 *si corpus adstrictum est, digerendum esse;* sed etiam peculiarem habet notionem, ut sit i. a. *corpus agitare, movere.* II, 15 med.: *ne imbecillum hominem nimis*

---

[1]) Cfr Östling., De elocutione C. Sallustii Crispi. Ups. 1862.

digerant (gestationes). IV, 14 p. 139 fin. *si satis valet, gestando ægrum digerere, si parum, intra domum tamen dimovere.*

Dimovere semper apud Cels. i. s. q. *agitare*, quam significationem apud nullum præter Cels. scriptorem afferunt lexica. I, 6 fin. *neque ambulatione quamvis leni dimoveri.* I, 14 p. 60 *ut minus sæpe in puero vel sene quam in juvene manus dimovendæ sint.* III, 22 p. 111, 27. III, 27, 3. IV, 14 p. 139 fin. IV, 31 p. 157, 14.

Durare intrans. i. a. *manere*, ut est apud Liv. 1, 9, poetas, posteriores solutæ orationis scriptores. II, 6 in. *itaque diutius durans mortis index est.* V, 26, 26. VI, 6, 1 p. 225, 21. VI, 12.

Esus, vox satis rara, quam apud Varronem, Gellium, Tertullianum inveniri afferunt lexica, apud Celsum est IV, 16 p. 142, 28 *Lienis quoque bubulus utiliter esui datur.*

Evidentia, qua voce Cicero (Acad. 2, 6, 17) et Quintilianus utuntur ad perspicuitatem orationis significandam, apud Cels. I prooem. p. 10, 13 idem est atque: id quod omnes evidenter perspiciunt; quem usum hujus verbi nusquam vidi commemoratum. Scriptum est illo loco: *quod ad Erasistratum pertinet primum ipsa evidentia ejus opinioni repugnat.*

Exercere, *-ri*, *se exercere* frequentissime dicitur de motu corporis. Eodem modo *exercitatio*, *exercitatus*, *inexercitatus.* Tum vero *exercere* non minus sæpe usurpatur de omni infirmitate corporis eo modo quo *vexare*, *torquere* vel illud, quod de morbis frequentissimum est: *male habere.*

Facultas duas habet significationes insolitas. Primum enim sæpe pro *vi* dicitur de medicamentis, velut V prooem. fin. *quum omnia medicamenta proprias facultates habeant.* II, 33 in. *Habent autem hanc facultatem semina erucæ.* Ceteri scriptores, quod quidem animadverterim, de hominibus hoc verbo utuntur, ut significet id quod aliquis efficere potest, non de rebus. Tum vero dicitur *videndi facultas* VII, 7, 13 fin., *facultas audiendi* VII, 8. VIII, 1 p. 324, 27 pro *visu*, *auditu.* Etiam *facultas loquendi* VII, 12, 4, *facultas motus* VIII, 1 p. 325, 2, *facultas vorandi* I, 3 p. 18, 27 [1]).

Facundia, qua voce, a Cicerone et Cæsare non usurpata, posteriores frequenter utuntur, apud Celsum est I prooem. p. 2, 16. ib. p. 7, 11.

Fluor, vox infimæ latinitatis, III, 6, fin. IV, 23 med.

Immodicus, *-ce*, quibus verbis frequenter utuntur posteriores scriptores jam inde a Livio, apud Celsum sæpe inveniuntur. Quæ Cicero usurpat *immoderatus*, *-te* Celsus non habet.

---

[1]) Cfr Krebs. s. v. Seyffert., Palæstra Ciceron. pag. 56.

Immorari, vox arg. ætatis, Cels. III, 11 fin. absolute positum *Itaque ei remissioni credendum est, quæ etiam immoratur;* cum dativo VII, 20 p. 301, med. *quod repulsa (intestina) inguinibus immorentur.*

Improbabilis, quæ vox argentea demum ætate usurpari coepta est, Cels. I prooem. p. 5, 27 *Si rationes sequi velit, omnium posse videri non improbabiles.*

Inarescere, posterioris ætatis verbum, apud Celsum valde frequens est. *Exarescere*, quo verbo Cicero et Cæsar utuntur, uno loco VI, 6, 1 p. 227, 19. *Arescere* nusquam.

Incomprehensibilis uno loco est I prooem. p. 6, 2. *Quum igitur illa incerta, incomprehensibilis sit.* Posteriores script. hoc verbum habent. *Comprehensibilis* I prooem. p. 5, 21 *quoniam non comprehensibilis natura sit;* quæ vox etiam posterioris latinitatis est, præterquam quod Cicero Acad. 1, 11, 41 ea utitur, ut vertat græcum *καταληπτόν.*

Indiscretus IV, 6 in. *quamvis minus subtiliter quidam indiscretis his nominibus utuntur.* Præter Varronem posterioris ætatis scriptores hoc verbum habent.

Indurescere (Ovid. et arg. æt. scriptores) apud Celsum sæpe. *Indurare* (Cic. fragm. Liv. Ov. posteriores) duobus locis: uno transitiva vi V, 18, 35 *ceterosque articulos induratos hoc molliebat*, altero intransitiva V, 28, 9 fin. *ubi ætas induravit, ne nascitur quidem (phyma).* Klotz. in lexico unum locum affert Vegetii, ubi intrans. vi hæc vox usurpata sit. Quod veteribus usitatius est *obdurescere* Celsus nusquam habet.

Infestare, qua voce utuntur Ovid. et scriptores posteriores, Cels. frequenter usurpat, ut idem significet atque *affligere*, *lædere*, velut I, 3 p. 19, 13 *dolor præcordia infestat.*

Inhorrescere Celsus sæpe habet, ut poetæ et posteriores scriptores.

Injuria apud Celsum i. s. q. *vitium corporis, morbus.* I prooem. p. 10, 19 *eaque per se non tanta, ut concitent morbum, tamen obnoxium magis aliis injuriis corpus efficiant.* II, 10 p. 54, 19. VIII, 2 in. VIII, 9 p. 343, 10. Similiter de rebus hac voce usi sunt arg. æt. scriptores.

Innectere (poetæ, posteriores) V prooem. *omnes medicinæ partes ita innexæ sunt, ut ex toto separari non possint.* IV, 1 fin. VII, 18 p. 295, 27.

Insido, vox poetarum et posteriorum script., apud Celsum satis frequens.

Inspirare, vox arg. ætatis, Cels. VII, 27 p. 314, 30 *Ex qui-*

bus si qua erunt arida, per scriptorium calamum inspirabuntur. V, 28 p. 215, 25.

Insudare apud Celsum frequens. Hor. sat. 1, 4, 72 hoc verbum habet cum dativo conjunctum. A Celso absolute usurpatur, velut II, 2 *si corpus dormientis circa partes aliquas contra consuetudinem insudat.*

Intendi sæpe de dolore, febre cet. i. s. q. *augeri*, velut IV, 15 in. *dolorque modo finitur, modo intenditur.* IV, 6 p. 128, 35 *tempore antelucano, quo præcipue frigus intenditur.* Hunc usum habent Sall. et argenteæ ætatis scriptores.

Intremiscere (Plin. major) Cels. VII prooem. p. 263, 7 *manu strenua, stabili nec umquam intremiscente.* *Intremere* (Virg. Sil.) III, 3 p. 77, 24 *ubi corpus totum intremit.*

Invigilare (poetæ, Col.) I, 2 fin. *tum paulisper invigilat, deinde bene dormit.*

Invisibilis, quam vocem præter Celsum apud Lactant. Tert. inveniri afferunt lexica, est I prooem. p. 3, 27 *invisibilia foramina.*

Irrationalis (Sen. Quint.) apud Cels. est I prooem. p. 7, 1, ubi olim scriptum erat *irrationabilis*, quæ forma apud Celsum non exstat. *Rationabilis* quoque, quod scriptum erat I prooem. p. 9, 11, nunc mutatum est in verbum *rationalis.* Cfr quæ de his formis disputavit Spaldingius ad Quint. inst. or. II, 16, 16.

Juventa, qua forma poetæ utuntur et scriptores post Livium, apud Celsum est II, 1 p. 28, 21 et eadem pag. l. 25. Ib. p. 30, 21. *Juventus*, quam Cicero habet formam hujus verbi, apud Celsum non invenitur.

Lassare, quod verbum apud poetas est et posterioris ætatis scriptores, Celsus habet uno loco, I, 3 p. 17, 15 *insolitum (cubile) contra lassat.*

Lēvor pro *lēvitate*, quæ forma et Ciceronis est et apud Celsum usitatior, I prooem. p. 5, 3. Ib. p. 7, 21.

Liberalis pro *copioso*, *liberaliter* pro *copiose* dicitur satis sæpe, velut *liberalis potio*, *cibus* cet. Etiam de tempore adjectivum adhibetur pro *longo:* III, 3 fin. *Tempora quoque remissionum modo liberalia modo nulla sunt.* III, 21 p. 109, 18 *juvenes robusti, qui vel ex toto carent febre vel certe satis liberales intermissiones habent.* Cicero quoque hanc vocem translata significatione de rebus usurpat Flacc. 6, 14; neque vero ullum hujus translationis exemplum afferunt lexica præter Ciceronis et Celsi.

Madescere (poetæ et posteriores scriptores) II, 12 p. 57, 23 *ut superiores ejus partes madescant.* III, 6 p. 86, 24.

Magisterium translata significatione pro *arte*, *ratione* usurpatur

V, 27, 2 p. 201, 6. *Post quæ nullo novo magisterio sed jam supra posito vulnus erit implendum.* Hoc etiam apud Plautum et Tibullum fieri lexica annotant.

Manducare (Varro, posterioris ætatis scriptores) apud Celsum est IV, 3 fin. *sinapi manducare.* IV, 4. IV, 11 p. 134, 26. Bernhardy (l.l. p. 322) hoc verbum ex sermone plebejo assumptum esse putat.

Medicare in participio IV, 12 p. 137, 6 *in frigidis medicatisque fontibus* (arg. æt. scriptores).

Meridiari I, 2 p. 14 *Longis diebus meridiari potius ante cibum.* (Catull. Suet.).

Ministerium, qua voce ut Virg., Ovid., Liv., posteriores scriptores sæpe utuntur, apud Celsum est uno loco VIII, 4 p. 333 fin. *in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur.*

Momentum i. a. punctum temporis III, 2 p. 76, 14 *admota curatione momento restituitur.* IV, 18 p. 144 in. VII, 16 in. VII, 26 p. 309 fin. VIII, 2 fin. VIII, 12 fin. Apud Livium quoque talem significationem hoc verbum habet, sed sæpius apponitur genit. *temporis*, *horæ* cet., id quod apud Celsum numquam fit.

Mordere translata significatione dicitur V, 26, 23 p. 192 in. *quoque plura loca injectum vinculum mordet.* VII, 4, 4 med. *et id sanescit, quod a lino relictum est, et id, quod ab eo mordetur, inciditur.* VII, 5, 4 in. *is locus qui mucronem momordit.* Ita poetæ et posteriores scriptores.

Necessaria plur. i. a. res ad vivendum necessariæ III, 22 p. 110, 12 *quum diu necessaria defuerunt.* Krebs. s. v. dubitat, num ita recte dicatur.

Nocenter (Colum. Tert.) V, 28, 11 in. *magisque nocenter indolescit.*

Nolens, quod participium ante argenteam ætatem apud nullum scriptorem inveniri Krebs. s. v. auctor est, apud Celsum invenitur uno loco: I, 8 in. *nolentium vomitus.*

Eo nomine i. s. q. *ob eam causam*, *eo* (cfr Cic. Fin. 2, 7, 21) IV, 18 in. *Ergo eo nomine morbum hunc χολέραν Græci nominarunt.* VIII, 4 p. 334, 3. — Apponitur etiam particula causalis vel finalis: I prooem. p. 10, 10 *quum ab illis eo nomine dissentiant, quod in conjectura rerum latentium nolunt esse medicinam.* VIII, 4 p. 333 fin. *Potest autem sutura eo nomine fallere, quia æque aspera est.* VII, 26, 2 p. 309, 34 *Idque eo nomine opus est, ne — calculus intus effugiat.* Cfr VI, 6, 14 fin. *acres cibi non alio magis nomine his nocent, quam quod lacrimas movent.*

Nutrire frequenter usurpatur eodem modo quo *curare*, *fovere*, id quod apud Livium quoque fit lib. 7, cap. 2. Cels. III, 9 fin. *Ideoque*

ejusmodi medici melius alienos ægros quam suos nutriunt. VIII, 8, 2. *Si supra vulnus est, id suis medicamentis nutriendum est.*

Obniti (poetæ, argenteæ æt. script.) uno loco VII, 17, 1 *quia necesse est, ea parte rupta membrana sit, quaque integra est, ea magis obnitatur (tumor).* Part. *obnixus* etiam apud Livium exstat.

Ocularius præter Cels. habent Scrib. et Solinus. Invenitur uno loco VI, 6, 8 in. *ocularius medicus.*

Pauxillus, vox Plauti et poetarum veterum, V, 28, 18 in. *pauxillo levius.*

Periclitari apud Celsum semper intrans. vim habet, ut idem sit a. *in periculo esse*, quæ significatio etiam apud Cæsarem exstat. Sæpe apponitur ablativus causæ velut II, 1 p. 30 in. *feminæ abortu periclitantur;* I prooem. p. 9 in. *Quos eo nihil tentasse judico, quia nemo in splendida persona periclitari conjectura sua voluerit.*

Perpetuus sæpissime dicitur de eo, quod in omnes valet et semper servandum est (contrar. *proprius*), velut I, 3 p. 17 in. *quod in iis verum est, quibus — —, perpetuum in omnibus non est.* Cfr Cic. de Or. 2, 32, 141: *perpetui juris et universi generis quæstio.*

Perseverare, de rebus usurpatum, i. est a. *manere* VI, 6, 16 in. *Atque in primis in quibusdam perseverat tenuis pituitæ cursus.* VIII, 9, 1 fin. *quo loco maxime humor in ea perseverabit, ibi pus proximum erit.* Simile exemplum est Plin. ep. 6, 20, 19 *tremor terræ perseverabat* [1]).

Quod pertinet ad apud Celsum non raro invenitur pro eo quod Ciceroni usitatius est *quod attinet ad* (vid. tamen Cic. Planc. 3, 7 *nam quod ad populum pertinet, semper dignitatis iniquus judex est qui aut invidet aut favet).* Verbo *attinendi* Celsus uno loco utitur VIII, 4 p. 337, 22 *Cetera, quæ ad somnum, cibi desiderium, febrem, puris colorem attinent, eadem quæ in ceteris vulneribus vel salutaria vel mortifera sunt.* Contra *pertinere* apud eum frequentissimum est. Velut I prooem. p. 10, 13 *Quod ad Erasistratum pertinet, primum ipsa evidentia ejus opinioni repugnat.* I, 3 p. 20, 31: *Quod ad ætates vero pertinet, inediam facillime sustinent mediæ ætates, minus juvenes, minime pueri et senectute confecti.*

Porrigi peculiari significatione de ægro homine dicitur, cujus vita in tempus aliquod servatur II, 5 in. *Neque vitæ alia spes in magnis malis est, quam ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat porrigaturque in id tempus, quòd curationi locum præstet.* — Klotzius in lex.

---

[1]) Hoc exemplum attulit Lagergren, De vita et elocutione C. Plinii Cæcilii Secundi. Ups. 1872. pag. 122.

s. v. nescio cur hoc verbum de morbo h. l. usurpari putet. Neque præter hunc locum ullum hujus significationis exemplum afferunt lexica.

Portio apud veteres nisi in locutione *pro portione* non est. Celsus sæpissime ut arg. ætatis scriptores hanc vocem posuit pro *parte*, velut *aqua portione*, *duæ portiones* cet.

Positus, vox satis rara (Sall. Ov. Tac.), apud Celsum nonnullis locis: I prooem. p. 5, 2, ubi ante Targam scriptum erat *posituram*. Ib. p. 8, 4. Ib. p. 12, 37. V, 26, 7. VIII, 1 in.

Potentia, qua voce de rebus utuntur poetæ et posterioris ætatis scriptores, apud Celsum VII, 7, 14 in. de visu, III, 4 p. 80, 30 de vi quam in febribus dies certi habebant. Cfr supra *facultas*.

Præceps pro *periculoso* VII, 26, 2 in. *ad quam festinare quum præceps sit;* et subst. *in præcipiti* II, 6 p. 38 in. V, 26, 3. Cfr *præceps periculum* II, 11 fin. III, 18 p. 99, 22. Ita Livius quoque locutus est.

Præfrigidus (Ovid., posteriores script.) II, 30 fin. *aqua vel tepida vel præfrigida.* I, 3 p. 18, 21. IV, 12 p. 136, 26. Duobus tamen locis, quos proxime attuli, apud Targam et Ritt. scriptum est *perfrigidus.*

Prævalere VII, 26, 2 p. 308, 3 *homo prævalens.* Argenteæ æt. script. hoc verbo sæpe utuntur. Participium apud Livium quoque est.

Prævenire, quæ vox apud Sallustium uno loco exstat Jug. 71, 5 [1]), apud Livium et posteriores sæpe reperitur, Celsus habet III, 15 in. *balneo frigus prævenire.*

Profectus apud Celsum est III, 1 fin. *quia profectus tempore expletur.* VII prooem. in. duobus locis. Hac voce poetæ et argenteæ æt. script. utuntur, nam Liv. 1, 15, 7 in editione Madvigii scriptum est *profecto* pro *profectu.*

Professor. I prooem. pag. 5, 24 *sapientiæ professores.* Ib. p. 2, 11. Ib. p. 8, 21. II, 6 p. 38, 17. VII prooem. p. 262, 20 *posteaquam (hæc pars medicinæ) habere suos professores coepit.* VIII, 4 p. 333 fin. VIII, 8, 1 in. Scriptores post Augustum hanc vocem usurpant.

Promere se i. a. se ostendere II, 6 p. 37, 19 *cui protinus in recenti morbo bilis atra vel infra vel supra se ostendit, cuive alterutro modo se prompsit.* Virg. (Æn. 2, 260: *lætique cavo se robore promunt*), Colum. hunc usum habent.

Promptus cum *in* conjungitur, ut solent posteriores scriptores, I prooem. in. *herbas aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque.* Cum *ad* veterum more conjungitur III, 20 in. *prompta ad omnem audaciam mens est.*

---

[1]) Östling., l.l. pag. 46.

Proponere idem fere s. q. *dicere*, *statuere*, *putare*. I prooem. p. 3, 7 *alii, nisi corporum rerumque ratione comperta, non satis potentem usum esse proponunt.* Ib. p. 3, 10 *Igitur ii qui rationalem medicinam profitentur, hæc necessaria esse proponunt.* Ib. p. 4, 20 *Asclepiadis æmuli, qui omnia ista vana et supervacua esse proponunt.* Ib. p. 5, 15 *Neque esse crudele, sicut plerique proponunt, hominum nocentium — suppliciis remedia — quæri.* II, 6 p. 38, 10. *Democritus ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse proposuit.* IV, 11 p. 135, in. — Apud nullum præter Celsum scriptorem hanc significationem lexica commemorant.

Propositum vitæ pro *genere vitæ* V, 26, 6 *Quin etiam confert aliquid et ætas et corpus et vitæ propositum.* Ita argenteæ æt. scriptores locuti sunt.

Puta et *ut puta* ex more posteriorum scriptorum Celsus nonnullis locis habet. *Puta:* II, 28 *neque solum aurata puta aut sparus.* V, 19, 11 fin. VII, 8 p. 284 in. *Ut puta:* I prooem. p. 5 fin. *Sæpe etiam causas apparere, ut puta lippitudinis, vulneris.* V, 26, 21 fin.

Rapere. Hoc verbo Celsus ad poetarum fere et posteriorum scriptorum consuetudinem usurpat. Significat enim uno loco i. a. *festinanter sumere:* III, 7, 1 *Nam quo celerius ejusmodi tempestates corripiunt, eo maturius auxilia — rapienda sunt;* ceteris locis i. s. q. *ad mortem præcipitare:* II, 1 p. 30 in. *laterum dolores et insania febricitantium quam celerrime rapiunt.* II, 6 p. 37, 34. II, 8 p. 49, 25. III, 27, 1 in. Cfr *corripere.*

Rationalis, quod verbum ante argenteam ætatem apud nullum scriptorem exstat, Celsus habet I prooem. p. 2, 28 *(disciplina).* Ib. p. 2, 34 *(ars).* Ib. p. 3, 10 *(medicina).* Ib. p. 9, 11. Ib. p. 10, 9 *(medici).* Ib. p. 10, 34 et 35 Ib. p. 11, 5 et 6. De forma *rationabilis* vid. quæ ad verbum *irrationalis* annotavi.

Renisus subst. apud Celsum est uno loco V, 28, 12 p. 214, 7 *perventumque esse ad eam (cartilaginem) ex renisu patet.* Rarissimam hanc vocem præter Celsum apud Augustinum inveniri afferunt lexica.

Reniti apud Celsum satis frequens est, velut IV, 16 in. *eaque dura est et prementi renititur.* Part. *renitens* Livius usurpat, ceteras hujus verbi formas argenteæ ætatis scriptores.

Sedile, quod verbum Krebsius dicit a poetis maxime et posterioris ætatis scriptioribus usurpari pro *sella*, apud Celsum frequenter invenitur. Etiam translate pro sedendo, velut I, 3 p. 20, 22, *Alvum adstringit labor, sedile* cet. Ib. p. 17, 19 *reficit post iter primum sedile, deinde unctio.* Vocab. *sellæ* Celsus non usus est.

Spatiosus pro *amplo*, *magno*, *lato* (poetæ, posteriores scriptores) Cels. I, 2 p. 15, 10 *conclavi quam maxime et alto et lucido et spatioso.* IV, 2 p. 122, 27. VII, 25, 1 in. VIII, 3 in.

Specialiter, vox recentiorum scriptorum, apud Cels. duobus locis olim scriptum erat II, 18 p. 65, 5 *pastinaca vel quæ specialiter radicula appellatur* et V, 24, 4 fin. Utroque tamen loco Daremb. hoc verbum exclusit, et quidem posteriore recte, quum prorsus turbet sententiam; contra priore, quum in codicibus sit, videtur esse retinendum.

Speciosus (Ov. Hor. Liv. post.) II, 2, in. *Ergo si plenior aliquis et speciosior et coloratior factus est —.*

Sponte non apposito pronomine possess. usurpatur II, 12, 2 p. 57, 14 *is qui sæpe vel sponte vel casu purgatus est.* III, 19 p. 103, 34 *et ante cibum et post eum sponte vomere oportet.* V, 26, 26 fin. Veteres solutæ orationis scriptores pronomen apponunt. Genitivus *spontis*, qui apud Varronem et Colomellam exstat, apud Celsum est I, 1 in. *Sanus homo, qui et bene valet et suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet.*

Subire translata significatione III, 6 p. 85, 33 *venæ subeunt et quiescunt* (i. a. se submittunt, sedantur). Nullum simile exemplum afferunt lexica. Altero quoque loco insolentius hoc verbum usurpatum est V, 26, 1: *Est enim prudentis hominis primum eum, qui servari non potest, non attingere nec subire speciem ejus ut occisi, quem sors ipsius interemit.* Cfr *subire invidiam, odium.*

Subscribere translate i. s. q. *indulgere* III, 4 p. 79 in. *(Asclepiades) ulterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriæ subscripsit, primis vero tortoris vicem exhibuit.* Sic etiam Liv., Col., poetæ.

Substare in participio præs. Celsus ita usurpat, ut idem sit atque *subesse;* id quod apud nullum alium scriptorem fieri videtur. II, 7 p. 42, 19 *nullo dolore substante.* II, 12 p. 57, 16. VI, 10 p. 248, 16. III, 24 in. *mollibus tantummodo præcordiis substantibus.*

Supervacuus Celsus sæpissime habet, ut Liv. et posteriores. *Supervacaneus*, qua forma Cicero utitur, apud Celsum non est.

Supervenire, qua voce utuntur Liv. et recentiores solutæ orationis scriptores, apud Celsum admodum frequens est. Velut III, 18 in. *alii corporis effectus qui huic superveniunt.*

Temperare sibi ab aliqua re, insolentior structura, est IV, 31 p. 157, 6 *Quidam quum toto anno a vino, mulso, venere sibi temperassent.*

Trahere de temporis diuturnitate usurpatur non solum transitiva vi ita, ut dicatur *trahere morbum*, *ulcera* atque etiam *tr. aliquem*, *ægrum*, quod insolentius videtur (velut III, 9 p. 91 in. *quidam tradi-*

tos sibi ægros, qui sub cautioribus medicis trahebantur, interdum contrariis remediis sanant. Ib. p. 91, 16 *quos Herophili vel Erasistrati æmuli diu tractos non expedierunt.* IV, 23 in. *id (vitium) interdum ægros trahit, interdum præcipitat)*, sed etiam intransitiva significatione, ut idem sit atque *sustinere*, qui usus præter Celsum nisi apud Florum non videtur exstare: II, 8 p. 48, 12 *Si quis etiam in eo morbo diutius traxit.* Ibid. p. 48, 16 *utique si tempus autumni est, quo fere qui cetera parte anni traxerunt resolvuntur.* II, 6 p. 38 in. *Sed hæc quidem (alvus) potest paulo diutius trahere, in præcipiti vero jam esse denuntiat, quæ* — i. a. *permanere*, nisi malueris audire *ægrum* et verbo transitivam vim subjicere.

Unitas (Varro, argenteæ æt. scriptores) IV, 26 p. 152, 10 *donec omnia, quæ indita sunt, liquata in unitatem quandam coeant.* VI, 6, 1 p. 227, 16. VII, 4, 4 in.

Variare apud Celsum semper intransitivam vim habet, ut apud poetas, Livium, posteriores. II, 1 in. *Ex tempestatibus vero optimæ æquales sunt, sive frigidæ sive calidæ, pessimæ, quæ maxime variant.* III, 2 in. III, 24 p. 116, 6. V, 27, 3 in.

Venatio sæpe dicitur pro animalibus venatione captis et cibo inde parato, velut I, 6 *Venatio durique pisces — maxime juvant.* (Varr. Liv. Col.)

Venus translata signif. poetarum more sæpe usurpatur pro concubitu.

Vicis vocabulo, quod recentiores scriptores sæpe usurpant, quum apud veteres non ita frequens sit, Celsus uno loco conjunxit *exhibere* III, 4 p. 79 in. *(Asclepiades) primis diebus tortoris vicem exhibuit* (cfr *fungi vice* Liv.) Plur. *vices* habet III, 12 in. *accessionum et decessionum vices;* II, 7 p. 41, 12 *pedes inter se subinde mutatis vicibus implicant;* VII, 26, 3 in. *leniter permutatis subinde digitorum vicibus.* — *In vicem* duobus locis i. s. q. *pro, loco:* III, 6 p. 87, 3 *in vicem ejus (sorbitionis);* IV, 13 p. 139, 11. Sæpissime adhibetur eodem modo atque *vicissim.* Cæsar, Livius has significationes habent.

Votum est i. a. *optandum est*, aut absolute aut sequente *ut* vel infinitivo. III, 4 in. *id votum est.* VI, 6, 1 p. 226 in. *votumque est, ut tantum exulceretur.* II, 5 in. *Post hæc indicia votum est longum morbum fieri.* Cfr Quint. inst. or. 12, 5, 6 *Sed hoc votum est et rara felicitas; quæ si non adsit, sane sufficiat ab iis, quibus quis dicit, audiri.*

De syntactica ratione.

Jam ad id me confero, ut qualem in syntactica ratione Celsus se præstiterit, paucis ostendam. Quum autem omnino veterum scriptorum in hac re consuetudinem secutus sit, ea solum afferam, quæ apud eum inveni ab illorum ratione discrepantia aut certe illis minus usitata.

De casibus.

Genitivus objectivus, qui vocatur, verbo *auxilii* apponitur: I prooem. in. *auxilium vulnerum morborumque* —, *auxilia adversæ valetudinis.* IV, 25 fin. *torminum auxilia.* Cujus usus quum exempla apud neminem præter Celsum scriptorem vidissem, hoc afferendum esse putavi, quamquam similiter adjungitur sæpe genitivus verbis *remedium*, *studium*, aliis.

Dativus apponitur his verbis simplicibus, quibus veteres solutæ orationis scriptores alias structuras subjungere solent:

Hærere poetarum more [1]) dativum habet VIII, 1 p. 325 in. *quorum (dentium) pars maxillæ, pars superiori ossi malarum hæret.* VI, 18, 6 fin. *si ex ictu testiculis aliquid hæsit;* ubi tamen quum codd. corrupti sint, Targa et Ritter scribunt *desit.*

Jungere sæpius apud Celsum dativum habet quam *cum* præpos. sequente ablativo; quod apud Ciceronem prorsus contra est [2]).

Miscere aliquid alicui rei sæpe dictum est. Etiam *m. aliquid cum aliqua re;* raro *m. aliquid aliqua re*, quæ structura veteribus usitatior est [3]).

Nonnulla quoque verba composita dativum habent, ubi veteres solutæ orationis scriptores præpositiones solent apponere:

Accedere cum dativo sæpissime, raro cum *ad* præpositione. *Adjicere*, quo verbo Celsus frequentissime utitur, numquam *ad* habet (*eo* VI, 6, 1 p. 227, 15; *quo* IV, 16 p. 142 fin.), dativum sæpissime. *Admovere* sæpissime cum dativo, ubi loci significatio aperta est. *Imponere* propria significatione sæpius dativum habet quam præpositionem repetitam. *Inesse* uno loco cum dativo conjungitur VIII, 10, 5 fin. *ut ipsa quoque ei (canali) coxa insit.* Aliis locis absolute ponitur, nusquam cum *in* sequente ablativo. *Injicere* sensu proprio multo sæpius dativum habet. *Insidēre* numquam cum præpositione ponitur.

---

1) Vid. Madv. gramm. pag. 232 not.
2) Madv. § 243 ann. 4.
3) Madv. § 260 b.

Dativus perfecto passivi apponitur pro *ab* cum ablativo, ut significetur agens persona, IV, 21 fin. *jam mihi dictum est.* VII, 33 in. *alio loco mihi dictum est.* Quod etiam apud veteres scriptores interdum fieri, satis notum est.

Accusativum insolentius habent nonnulla verba:

Antecedere, ubi non absolute positum est, semper cum accusativo conjungitur. Cicero huic verbo dativum solet apponere. *Evadere*, cui verbo Cicero fere præpositionem *ex* sequente ablativo adjungit, aut accusativum habet, aut absolute ponitur. *Excedere* sæpe transitiva vi cum accusativo conjungitur, quæ structura Livii est et posteriorum scriptorum. *Invadere* Celsus tribus locis habet, ubi sequitur accusativus ex more Sallustii et Livii [1]).

Ablativus loci insolentius usurpatur I, 2 in. *Habitare vero (debet) ædificio lucido.* III, 4 p. 79, 11 *isque cubare quam maximo conclavi debet.* VII, 29 in. *mulierem transverso lecto sic collocare, ut —.* Ibid. fin. *illa conclavi collocanda est, modicum calorem sine ullo perflatu habente.*

Ablativus temporis insolentius ponitur I prooem. in. *bello Trojano ducem Agamemnonem secuti.*

Ablativus nonnullis locis de tempore usurpatur, ubi exspectes accusativum ad significandam diuturnitatem. I, 3 p. 17 fin. *Qui vero toto die vel in vehiculo vel in spectaculis sedit.* II, 6 in. *Si vero in morbo vetere jam triduo talis est, in propinquo mors est.* II, 8 p. 48, 17 *qui cetera parte anni traxerunt.* III, 4 p. 79, 25 *ubi ægrum triduo per omnia fatigaverat.* IV, 5 p. 126, 25 *si biduo vel certe triduo nobis temperavimus.* Ib. p. 126, 33 *deinde rursus biduo aqua (assumenda est).* IV, 7 fin. *angina toto anno non periclitari.* IV, 26 in. *uno die fluere alvum sæpe pro valetudine est, atque etiam pluribus —.* Ib. p. 151, 32 *id pluribus diebus neglectum.* IV, 31 in. *Quidam quum toto anno a vino, mulso, venere sibi temperassent.* IV, 32 *ubi triduo quatriduove vinum bibit, uno aut etiam altero die interponere aquam.* V, 26, 27 in. *Biduo sic vulnere habito.* VII, 7, 14 p. 280, 23 *bibere aquam triduo debet.* VIII, 11 p. 353, 18 *a cibo, si valentioris articuli casus est, triduo, interdum etiam quinque diebus abstinere.*

Ablativi absoluti, qui vocantur, insolentius videntur usurpari V, 26, 30 *Purgato, sequitur ut impleatur (vulnus)*, ubi participium sine subjecto positum est. III, 18 p. 100, 34 *Id interdum fit, et quidem adeo, ut, illo confitente, nimia frictio etiam lethargi periculum afferat;* quo loco ablativi illi non arctiore quodam vinculo continentur cum ceteris

[1]) Cfr Schultz., gramm. 252, 2, 4.

verbis, sed admodum levis est eorum inter se connexus. Dicendum erat fere *ut ille confitetur*[1]). Similes loci sunt VII, 14 p. 290 fin. *At caro durior est prementique non cedit, prioribus facile cedentibus.* VIII, 10, 7 in. *His proprie ad singula membra pertinentibus, rursus illa communia sunt.* — Inveniuntur etiam apud Celsum exempla, ubi hæc structura usurpata est, quamquam subjectum enuntiationis secundariæ etiam in sententia primaria positum est, velut V, 26, 27 in. *Biduo sic vulnere habito, tertio die id aperiendum est.* VII, 7, 9 *Altitudo esse plagæ usque ad cartilaginem debet, ipsa illa nihil læsa.*

De adjectivis.

Sæpissime Celsus *substantivorum loco* posuit adjectiva et participia, id quod et brevitatem efficit et ad morem eorum, qui artem aliquam tradunt, accommodatum est. Ita vox *ægri*, qua Cicero quoque pro substantivo usus est, apud Celsum et in singulari et in plurali numero in omnibus casibus substantive positum invenitur[2]). Exempla præterea nonnulla afferam[3]).

Usurpantur ita satis sæpe adjectiva et participia *masculini* generis *singularis* numeri. In nominativo: *rationalis* I prooem. p. 10 fin. *Infirmus*, *valens* VII, 26, 5 p. 313, 16. V, 26, 6. *Affectus* V, 26, 6. *Senior*, *tenuis*, *plenus*, *exercitatus*, *iners*, *sobrius*, *temperans*, *deditus* ibid. *Robustus*, *tener* VII, 19 fin. — In genitivo: *dormientis* II, 2 p. 32 in. II, 8 p. 48, 28. *Cubantis* III, 4 p. 79 in. (et sæpius). *Juvantis* III, 12 fin. *Curantis* III, 15 fin. (et sæpius). *Insanientis* III, 18 p. 99 in. *Jacentis* III, 19 p. 103, 21. *Periclitantis* V, 26, 1. *Mandentis* VI, 9 in. — In dativo: *jejuno* I, 3 p. 18, 21 (sæpius). *Tenui* I, 9 p. 25, 18. *Crudo* II, 10 p. 53, 21. *Ignaro*, *inscio*, *perito* ib. p. 54. *Quam sanissimo* III, 4 p. 81 fin. *Quam integerrimo* ib. p. 82 in. *Sudanti* I, 3 p. 17 in. *Usum habenti* II, 10 p. 54, 23. *Curanti* IV, 2 in. *Prementi* IV, 16 in. *Sitienti* IV, 26 fin. *Contingenti* V, 26, 27 p. 194, 23. *Ducenti* VI, 18, 2 in. *Fatigato* I, 3 p. 17, 15. *Coenato* V, 25, 16. Feminini generis est *laboranti* V, 25, 14. — In accusativo: *inanem*, *purgatum* II, 8 fin. *Laborantem* II, 16. *Insanientem* III, 18 p. 102, 8. *Jejunum* IV, 22 p. 148, 7. V, 28, 12 p. 214 extr. *Ducentem* V, 26, 23 p. 192, 5. — In ablativo: *(in) jejuno* I, 3 p. 18, 16 et sæpius.

---

[1]) Cfr Krebs. l.l. (ed. quartam) pag. 85 § 146.

[2]) Annotandum videtur esse hoc loco, vocabulo quod est *ægrotus* Celsum nusquam usum esse.

[3]) Cfr quæ de hac re disputarunt Nägelsbachius, «Lateinische Stilistik» § 21 sqq. Dræger, l.l. pag. 36 sqq.

In *masculino* genere *pluralis* numeri sæpe pro substantivis ponuntur adjectiva et participia, id quod etiam apud ceteros scriptores sæpius fit quam in singulari numero. Omnes casus ita positi multis locis apud Celsum inveniuntur, frequentissimus autem est dativus, velut *rationalibus* opp. *experimenta tantum spectantibus* (I prooem. p. 10 in.), *imbecillis*, *infirmis*, *robustioribus*, *plenis*, *biliosis*, *sanis*, *insanientibus*, *laborantibus*, *ægrotantibus*, *curantibus*, *insuetis*, *(morbo) oppressis*. In nominativo insolentius dici puto VII, 26, 2 p. 308, 9 et 18: *duo valentes.*

In *neutro sing.* non ita raro exempla inveniuntur. In nominativo: *album*, *leve*, *æquale* II, 3 p. 33, 9. *Medium* IV, 15 p. 141, 20. *Inæquale*, *asperum* V, 28, 12 p. 214, 5. *Cavum*, qua voce pro substantivo Cato, Liv. alii usi sunt, etiam apud Celsum et in nominativo et in aliis casibus substantive positum est. — In genitivo partitivo, qui vocatur, velut *liquati aliquid* V, 17, 2. *Aliquid integri* VI, 18, 3. *Quid aridi* VI, 19 p. 261. *Nihil dubii* VII, 7 p. 277, 23. VII, 23 in. — In dativo: *deraso*, *detrito* V, 26, 35. *Aequali* V, 28, 12 p. 214, 4. *Levi* VIII, 1 p. 327, 26. — In accusativo: *crudum* I, 2 in. *Frigidum* I, 3 p. 17, 8. *Album* IV, 22 p. 148, 16 et sæpius. *Medium* V, 28, 18 in. et alibi. — In ablativo: *calido*, *frigido* II, 7 p. 39 fin. *Vivo* V, 26, 33 fin. *Contuso* V, 28, 14 p. 217, 21. *Nigro* VI, 6, 1 p. 226 in. *Integro* VI, 18, 3 in. *Lubrico* VIII, 3 p. 331, 8. *Plus justo* I, 1. III, 22 p. 110, 30. VII, 18 fin. *Loquacitas solito audacior* II, 7 p. 42, 15. *Plus æquo* VII, 27 p. 315, 11. — Apponitur vocabulo ita usurpato etiam genitivus: *album ovi (ex ovo*, *ex ovis)* in nom., acc., dat., ablat.; *album oculi*, *oculorum* in nom., dat., ablat. *Jecinoris crassum* V, 26, 3. *Summum ejus foraminis* VII, 7, 7. *Imum ejus (plantæ)*, accus., VIII, 23. — Etiam cum pronomine conjungitur adjectivum vel participium: *simili aliquo* III, 18 p. 99 fin. *Alicui molliori* V, 17 fin. *Aliquo liquido* V, 22, 1. *Alio glutinante* VII, 11 fin. *Nulli retuso* VIII, 7 in. *Sine ullo acri* VIII, 9 p. 343, 19; in quibus exemplis dubitare licet, utrum adjectivo vel participio, an pronomini substantivi vis subjecta sit.

Sæpissime autem a Celso substantive ponuntur adjectiva in ablativo vel accusativo casu neutr. sing. *cum præpositionibus* ita conjuncta, ut adverbiorum fere vim teneant hæ locutiones. Hoc quum apud omnes scriptores fiat, apud posteriores tamen frequentius est [1]). Tales locutiones Celsus has habet: *ex alto* (V, 23 in. *ubi ex alto deciderunt.* III, 5 in. *At si ex alto calor venit* i. a. ex interioribus corporis partibus), *ex facili* sæpius, *ex improviso* (II, 8 p. 49, 16), *ex parvulo* (VII, 6 in.), *ex toto* sæpissime, *ex vicino* (VII, 9 in.); — *in imo* (VIII, 1 p.

[1]) Cfr Dræger., l.l. pag. 45.

326, 24), *in summo* sæpius, *in medio* (VII, 7, 15 p. 282, 21 et aliis locis), *in extremo* (VIII, 1 p. 327, 22), *in vicino* (II, 6 p. 38, 14. V, 28, 12 p. 213 extr.), *in propinquo* (II, 6 in. et aliis locis), *in proximo* (VII, 19 p. 299, 21), *in angusto* (V, 27, 2 p. 201, 17 et sæpius), *in primo* (insolentius de tempore i. s. q. *primo*, *initio* VIII, 10, 7 p. 350 in. *magisque in primo fame utendum* [1]); de loco dicitur VII, 26, 4 *si in primo, quod est angustius, inhæret*), *in aperto* (VIII, 10, 7 p. 351, 10), *in obscuro* (I prooem. p. 4, 5), *in dubio* (ib. p. 6 in.), *in tuto* (III, 19 fin.), *in difficili* (V, 26, 1), *in præcipiti* (II, 6 p. 38, 4. V, 26, 3); — *de subito* (V, 28, 11 p. 212 in.); — *in imum* (II, 3 p. 33, 10), *in pronum* (VIII, 1 p. 326 in.), *in quadratum* (VII, 9 p. 284 fin.), *in perpetuum* (IV, 31 in. et aliis locis), *in totum* (I, 3 fin.), *in unum* (V, 17 fin. et sæpius); — *ad imum* (VII, 19 p. 299, 16), *ad extremum* (VII, 8 fin. VII, 26, 2 p. 309, 28); — *per medium* (V, 27, 3 p. 202, 18 et alibi). — Comparativus gradus tali modo usurpatur, id quod apud omnes scriptores raro fit, in locutionibus *in pejus* II, 2 in. II, 6 fin., *in melius* II, 2 in. VII prooem. p. 263 in.

Neutra pluralis numeri ut apud ceteros scriptores, ita apud Celsum frequentissime substantivorum loco ponuntur, neque in nominativo solum et accusativo (etiam apposito genitivo partitivo, velut *interiora oculi* VII, 7, 13 med., *extrema corporis* VII, 29 p. 317, 17, *eminentia cubiti* VIII, 10, 2 fin.), sed etiam satis sæpe in iis casibus, in quibus ex forma vocis non discernitur, cujus generis sit. Hujus usus quum longum sit omnia exempla afferre, paucis contentus ero. Genitivus plur. non sæpe occurrit: *communium*, *propriorum* I prooem. p. 11 fin. *Adustorum* V, 27 fin. *Domesticorum* VI, 6, 14. *Reprimentium* VI, 16. *Rodentium* VII, 3 med. — Dativi casus, quem ita apud Ciceronem rarissime usurpari dicit Dræger [2]), hæc exempla inveni: *communibus* I prooem. p. 11, 12. *Præcedentibus* II prooem. *Infirmissimis* II, 18 p. 65 fin. *Imbecillissimis* ib. p. 66, 10. *Torquentibus* VII, 27 p. 315 fin. — Ablativus sæpius invenitur, velut *multis* I prooem. p. 3 fin. *Certis*, *exploratis* ib. p. 6 in. *Salutaribus* ib. p. 6, 25. *Similibus* ib. 9, 25 et sæpius. *Communibus* ib. p. 12, 13. *Secundis*, *contrariis* ib. p. 12 med. *Assis* I, 3 p. 21, 15. *Levioribus* II, 18 fin. *Superioribus* III, 24 med. *Prioribus* V, 17, 1 et sæpius. *Insequentibus* V, 27 fin. *Ulterioribus* VIII, 1 p. 327 in. *Erodentibus* V, 26, 33 fin. *Calorem moventibus* I, 3 p. 21, 12. Etiam apponitur alterum adjectivum (velut *calidis omnibus* I, 3 p. 21, 12, *ab omnibus inflantibus* III, 21 p. 108,

---

[1]) Cfr Hand. Tursellin. s. v. *in* pag. 277.

[2]) L.l. pag. 41.

8, *in ceteris adustis* VIII, 9, 1 fin.) et pronomen, velut *quibusdam calefacientibus* III, 21 p. 108 in., *quibusdam quasi mucosis* IV, 22 in., *quibusdam metallicis* V. 17, 2 in.

Commemorandum est, etiam *participium futuri activi* substantive positum esse II, 13 fin. *id agere debet, ut accepturi corpus humidius sit.* V, 25, 9 *bina catapotia mane, bina noctu dormituro dantur.*

Ad vim *comparativi* gradus augendam Celsus et ex veterum scriptorum more posuit part. *etiam*, et *etiamnum*, quod ita habent argenteæ ætatis scriptores [1]), et *longe*, quod usurpant poetæ, Livius, posteriores [2]). *Etiamnum* invenitur II, 15 *etiamnum acrior;* V, 26, 30 fin. *etiamnum vehementiora;* V, 28, 3 p. 208, 12 *validioribus etiamnum remediis;* V, 28, 17 p. 220 in. *certioribusque etiamnum, quam prior, temporibus et fit et desinit — tertia etiamnum deterior est;* VI, 6, 1 p. 225, 32 *pejus etiamnum;* VII, 8, 15 p. 283, 6 *efficacior etiamnum;* VIII, 20 p. 360, 8 *etiamnum valentius. Longe* duobus locis comparativo appositum est: II, 14 p. 60 in. *longe sæpius;* III, 3 p. 77, 16 *longe perniciosius.* — *Adhuc*, quod simili modo usurpant posterioris ætatis scriptores, in hac significatione apud Celsum non invenitur.

De pronominibus.

Pronomen determinativum interdum omittitur, et ubi relativum pronomen in eodem casu sequitur (velut VII, 22 in. *Quibus vero super mediam tunicam venæ tument*, (int. *iis) incidendum inguen est)*, et ubi hoc non fit, velut IV, 31 in. *Ea (vitia) raro — mulieres, nisi* (int. *eas,) quibus menstrua suppressa sunt, tentant.* V, 18, 11 *ad digerenda* (int. *ea,) quæ coeunt.* VIII, 9, 1 p. 344 in. *Si suppuratio vicerit neque per* (int. *ea,) quæ supra scripta sunt discuti potuerit, omnis mora vitanda erit.*

Supra annotavi (pag. 8), apud Celsum pronomen *demonstrativum* interdum pro substantivo poni, quum longius absit id, ad quod referatur pronomen. Contra nonnumquam pronomina *is*, *hic* abundare quodammodo videntur, ubi subjectum sententiæ excipiunt. II, 10 p. 54, 14 *is: eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur, ubi is suppressus est, quia non trahitur, ne venit quidem.* III, 4 p. 79, 9 *is: in luce habendus æger, nisi infirmus, interdiu est — isque cubare quam maximo conclavi debet.* III, 5 p. 83 in. *is.* V, 27, 9 fin. *is.* V, 28, 2 fin. *id.* V, 28, 8 fin. *id.* VII, 12, 1 p. 287, 12 *is.* VII, 18 p. 296, 35 *is.* VII, 26, 5 p. 312, 27 *is.* V, 28, 2 in. *hæ.*

[1]) Cfr Hand. Tursellin. s. v. *etiamnum* pag. 585.
[2]) Krebs. s. v. Hand. s. v. pag. 551.

Optimi scriptores, quum attributum quod additur majoris momenti esse significare volunt, usurpant fere *et is*, *atque is*, *sed is*. Celsus et hoc pronomine utitur et eo quod est *hic*. I prooem. p. 5, 15 *hominum nocentium et horum quoque paucorum suppliciis*. I, 3 p. 19, 26 *paulum cibi sed hujus idonei gustandum.*

Genus pronominis *relativi* insolentius ad prius duorum substantivorum, quæ antecedunt, accommodatum est II, 12, 1 fin. *cibos potionesque assumere*, *qui simul et alant et ventrem molliant.*

Quicumque pro *indefinito* pronomine usurpatur III, 18 p. 99, 36 *Utiles etiam in quibuscumque viribus herbæ duæ sunt* [1]. — II, 28 in. in editione Darembergii est: *Facile autem intus corrumpuntur panis fermentatus et quisquis alius quam qui ex tritico est.* Apud Targam et Ritt. omittitur vocab. *qui*, quod nescio qua de causa Daremb. assumpserit. — Eodem modo atque *quicumque* etiam *quandocumque* amissa vi relativa uno loco est IV, 26 p. 152, 17 *Tertium, quod quandocumque fieri potest* i. e. quolibet tempore.

Interrogativum pronomen *quis* de duabus rebus dicitur IV, 19 in. *inter intestina stomachumque versatur sic (hic morbus)*, *ut cujus potissimum partis sit*, *non facile dici possit* [2].

De pronominibus hoc quoque annotandum est, substantive adhiberi nonnullis locis eas formas, quæ adjectivorum vice fungi solent. Ita usurpatur *ulli* sing. masc. V, 28, 2 p. 207 in. *neque ulli umquam medicina profuit;* id quod interdum fit etiam apud alios scriptores [3]. — *Aliquod* V, 28, 19 med. *utrum autem aliquod horum sanabile sit*, *an non sit*, *experimento facile colligitur*, et VI, 7, 4 in. *et tum aliquod ex iis*, *quæ supra scripta sunt*, *quod mel habeat*, *infunditur*, quamquam h. l. potest fortasse audiri *medicamentum* vel *collyrium*. — *Quodlibet* II, 17 p. 63, 27 *quodlibet eorum calefactum et in linteum conjectum*, et VI, 8, 1 in. *quum quodlibet horum aliquis conterit.* Etiam apud Quintilianum inveniuntur exempla, ubi pro substantivis usurpantur adjectiva pronomina, aut adjectivo apposito, aut sequente per genitivum partitivum vel *ex* præpositionem totius rei, unde aliquid sumitur, significatione. Ita Quint. 5, 10, 67 *unum quodlibet.* 10, 1, 7 *proximum quodque.* 12, 1, 44 *unum ex iis quodlibet.* Unum etiam exemplum Bonnellus in Prolegomenis [4]) habet, Quint. 5, 10, 123 *unumquodque eorum;* eo autem Ciceronis loco, qui ab eodem affertur, Rosc. Am. 30, 83 *leviter unumquodque tangam*, recentiores editores scribunt *unumquidque.*

[1]) De hoc usu vid. Madvig. ad Cic. Fin., excursum VI pag. 834.

[2]) Cfr Dræger. l.l. pag. 86.

[3]) Madv. gramm. § 90 ann.

[4]) Prolegomena ad Lexicon Quintilianeum pag. 32.

Eæ quoque pronominum formæ, in quibus genus distingui non potest, sæpe ita ponuntur, ut, ad certum aliquod substantivum non relata, neutrius generis sint. Et nonnullis quidem locis ex verbis, quæ præcedunt aut sequuntur, satis plane apparet, cujus generis sit pronomen, velut ubi dicitur III, 23 p. 114 med. *quibusdam præter ea, quæ supra scripta sunt, adjectis.* Aliis autem locis genus non aperte significatur, quamquam semper ex universo sententiarum nexu intelligi potest. *Hujus* V, 17, 1 in. *miscentur autem varie, neque hujus ullus modus est* i. a. hujus rei. — *Quo* VII, 29 p. 318, 7 *in quo quid periculi sit, supra positum est* i. a. in qua re. VII, 20 in. *Fascia ejus rei causa fit, cui imo loco pila assuta est* cet. *Sub quo sæpe et intus compellitur intestinum et inter se tunicæ glutinantur.* Ita sæpe *sub quo* idem est a. qua curatione, quod si quis facit v. t. q. — *Aliquo* III, 6 p. 87, 10 *semper quidem incipiendum est ab aliquo ex media materia.* — *Alio* II, 18 p. 64 fin. *Si quidem plus alimenti est in pane quam in ullo alio* i. a. in ulla alia re. — *Nullo* I, 3 fin. *Ex quibus in nullo.* — Etiam in plurali numero non raro exempla occurrunt. *His* in dativo V, 28, 12 p. 213, 26 *Inimica contraria his sunt.* *His* in ablativo III, 23 p. 113, 24 *quia ne lethargicus quidem his sanatur* (cfr supra *iisdem*). IV, 7 p. 130, 10 *Si vero his morbus levatus est.* V, 26, 25 in. *His ita primo die ordinatis.* VI, 7, 5 *Elui quoque aurem oportet vino, in quo marrubium decoctum sit. Sub his emortui vermes in primam auris partem prolabuntur;* ita sæpe *sub his* i. a. eo, per hæc medicamenta v. t. q. — *Quibus* dat. V, 28, 7 in. *quibus id quoque accedit, quod longo spatio detinent;* ita sæpe cum verbo *accedendi* conjunctum *quibus* dat. plur. neutr. i. est a. *ad quod.* In ablativo III, 23 p. 114 in. *Cum quibus fugere oportet solem, balneum* cet. i. a. *præterea.* Conjungitur etiam ablativus cum præpositione *sub* ita, ut eodem modo atque *sub quo, sub his* dicatur *sub quibus* VII, 27 p. 314 fin. *Sub quibus perveniri ad sanitatem potest.* VIII, 25 *sub quibus in ejusmodi casu fieret mors matura.* — *Aliquibus* IV, 23 med. *aliquibus quotidie adjectis.* IV, 26 p. 152, 23 *aliquibus adjectis.* VI, 2 *dein id super adjuvandum aliquibus ex leniter reprimentibus.* III, 22 in. *naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus,* ubi etiam *nullis* ablat. insolentius usurpatur. — *Aliis* ablat. V, 26, 33 fin. *sed aliis quoque purgari potest, quibus purulenta curantur.*

De modis.

De modorum usu annotandum est, Celsum in oratione obliqua, quæ vocatur, multo sæpius indicativum quam conjunctivum ponere in enuntiationibus secundariis, etiam quum necessario ad ea pertineant,

quæ alius quis dicere vel sentire indicatur. Hoc apud historiarum maxime scriptores interdum fieri, commonent grammatici[1]). In prooemio libri primi, ubi expositum est, quæ de medicina diversa sentirent medicorum sectæ, quæ tum erant, permulta sunt hujus rei exempla. Velut pag. 3 med.: *neque (credunt) esse dubium, quin alia curatione opus sit, si ex quattuor principiis vel superans aliquid vel deficiens adversam valetudinem creat —, alia, si in humidis omne vitium est —, alia, si sanguis in eas venas, quæ spiritui accommodatæ sunt, transfunditur et inflammationem, quam Græci φλεγμονήν nominant, excitat, eaque inflammatio talem motum efficit, qualis in febre est —, alia, si manantia corpuscula per invisibilia foramina subsistendo iter claudunt —*. Ib. p. 3 extr.: *neque interesse (contendunt), an nunc jam pleraque explorata sint, si a consilio tamen coeperunt.* Cfr pag. 4, 22 sqq.; pag. 6, 11 sqq.; pag. 7, 25 sqq.; pag. 8 ,10; pag. 10 in. II, 10 p. 54, 9: *Neque ignoro, quosdam dicere, quam longissime sanguinem inde, ubi lædit, esse mittendum, sic enim averti materiæ cursum, at illo modo in id ipsum, quod gravat, evocari.* II, 14 p. 59, 24 *finiuntur.* III, 6 p. 85, 10 *bibit.* Ib. p. 85, 18 *habet.* III, 20 p. 104, 26 *decessit.* III, 24 in. *supervenit, oritur.* IV, 7 fin. *urget.* VII, 11 *ubi purus est.*

In modis ponendis post particulas concessivas *quamquam* et *quamvis* Celsus a veterum solutæ orationis scriptorum consuetudine discrepat, poetas et posteriores secutus. *Quamquam* uno loco apud eum est, ubi conjunctivus sequitur: I prooem. p. 8, 25 *Quamquam igitur multa sint ad ipsas artes proprie non pertinentia.* Contra *quamvis* de re vera usurpatur, ubi veteres *quamquam* ponunt. Sæpissime sequitur indicativus, velut I prooem. p. 9, 27 *Quamvis ne hæc quidem sic præteriri debent, quasi nullam controversiam recipiant.* II, 1 p. 29, 11 *Neque aliud magis tempus pestilentiæ patet, cujuscumque ea generis est, quamvis variis rationibus nocet.* Conjunctivus post *quamvis* multo rarior est: I prooem. p. 8, 27 *Itaque ista quoque naturæ rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit.* II prooem. *quum recentiores medici, quamvis quædam in curationibus mutarint, tamen hæc illum optime præsagisse fateantur.* II, 8 p. 48 in. II, 18 p. 64, 31. III, 18 p. 98, 21. IV, 7 fin. VIII, 14 fin.

In formula *non quod — sed quia* Celsus semper in utroque membro eodem modo utitur, et quidem indicativo uno loco III, 5 p. 83, 13 *non quia mane est, sed quia remissio est*, ubi indicativo significatur verum esse id quoque, quod in prima causali sententia ponitur, quam-

---

[1]) Madv. § 369 ann. 2.

quam non recte pro causa assumitur [1]). Sæpius in utraque enuntiatione conjunctivum posuit: II prooem. *Non quod non omni tempore — et ægrotent et moriantur, sed quod frequentius tamen quædam eveniant.* III, 2 p. 76, 28 *Non quo non interdum id incidat, sed quo (quod* scribunt Targa, Ritter) *sæpius fallat, solaque abstinentia sine ullo periculo medeatur.* III, 4 p. 81, 30 *non quo (quod* Targa, Ritt.) *non sit interdum maturius cibus dandus —, sed quo (quod* Targa, Ritt.) *scilicet quam sanissimo dari debeat.* VII, 4, 3 *non quo perniciosior ibi sit, sed quo alteri periculo locum faciat.* VII, 16 in. *non quod (quo* Ritt.) *certa fiducia sit, sed quod dubia spes certa desperatione sit potior.* VII, 20 p. 301, 18 *non quo excludi a scroto non possint —, sed quod (quo* Targa, Ritt.) *repulsa inguinibus immorentur ibique tumorem excitent.* VII, 26, 2 in. *Non quo non interdum etiam temeraria medicina proficiat, sed quo sæpius utique in hoc fallat.* VIII, 3 p. 331, 29 *non quo non subsit aliqua vitiosa sanies, sed quoniam ibi ut in latiore sede diffusa sit.*

De temporibus.

Celsus ubi præcipit, quomodo ægri homines curandi sint, in sententiis conditionalibus connectit futurum exactum (in enunt. secundaria) et futurum simplex (in enunt. primaria), bina futura simplicia, futurum exactum et præsens (conjunctivi jussivi aut indicativi talis verbi, in quo futuri temporis significatio inest: *debet*, *oportet*, gerundivum cum *est)*, perfectum indic. et præsens indic., duo præsentia indic. — Paulo insolentior est temporum conjunctio IV, 7 p. 130, 9: *Quibus si non fuerit æger adjutus, scire licet malo victum esse.* IV, 22 p. 148 in.: *longoque tempore id malum, quum inveteraverit, aut tollit hominem aut, etiamsi finitur, excruciat.* VIII, 14 in.: *In utram partem exciderint (vertebræ), a posteriore parte vel tumor vel sinus oritur* (ubi tamen Targa, Ritter scribunt *erit* pro *oritur,* quod nulla allata ratione Daremb. assumpsit).

In *consecutione temporum* quum omnino Celsus veterum consuetudinem sequatur, his locis ab ea nonnihil videtur recedere: III, 18 p. 99, 15 *Asclepiades perinde esse dixit his sanguinem mitti, ac si trucidentur.* Ib. p. 100, 33: *per hanc enim (dixit) nos consecuturos, ut somnus accedat.* III, 21 p. 109, 9 *frustraque (Erasistratus putavit) aquam emitti, quæ vitiato illo subinde nascatur.* VII, 14 in. *Heron omnibus his quatuor positis et omenti mentionem habuit et ejus, quod simul et omentum et intestinum habuerit.* — Quamquam satis notum

[1]) Cfr Schultz., gramm. § 350 ann. 3.

apud Cæsarem et Livium non raro inveniri exempla, quæ ad eorum, quæ attuli, similitudinem accedunt.

De infinitivo.

Infinitivus apponitur adjectivo quod est *contentus*, ut apud poetas et posteriores scriptores fit, I prooem. p. 8, 30 *quicumque alii, non contenti febres et ulcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt.* VII, 15 extr. *idque bis ita fecisse contenti sunt.* — Etiam cum verbo *nitendi* conjungitur infinitivus III, 20 in. *Hos ægros quidam subinde excitare nituntur.* Ita hoc verbum posuerunt Sall. Nep. Liv. — Insolentius etiam locutionem quæ est *auctorem esse* sequitur infinitivus VII, 7, 6 *At ubi albo ipsius oculi palpebra inhæsit, Heraclides Tarentinus auctor est adverso scalpello subsecare.* Cfr Cic. Att. 9, 10, 5 *Ego quidem tibi non sim auctor, si Pompejus Italiam relinquit, te quoque profugere* [1]).

De gerundio.

Gerundii *ablativus* modalem vim habet VIII, 1 p. 324, 24: *In aure quoque primo simplex iter, p r o c e d e n d o flexuosum juxta cerebrum in multa et tenuia foramina diducitur.* — Hunc usum posteriores scriptores jam inde a Livio frequentarunt.

De participiis.

Quum omnino participiis sæpe adhibendis Celsus brevitati orationis consulat, tum *participium futuri activi*, quo veteres scriptores, nisi cum verbo *esse* conjungitur, uti non solent, nonnullis locis usurpat pro enuntiatione secundaria. I, 3 p. 16, 23 *omnibus post fatigationem cibum sumpturis.* III, 2 p. 76 in. *ut sustinere spatium affecturi mali possit (æger).* III, 6 p. 85 fin. *cui facile laturo gravis instat accessio.* VII, 17, 2 *tum eam partem explanaturus, hanc quoque eo differo.* VIII, 4 p. 333 fin. *magno ingenio multaque nihilominus habituro convenit etiam simplex veri erroris confessio.* VIII, 7 in. *Ab his ad maxillam venturus, indicanda quædam puto —.* Uno loco invenitur hoc participium in ea verborum constructione, quam ablativos absolutos vocant: III, 5 p. 83, 22 *finito jam gravissimo tempore eodemque longissime distante, secuturis vero antelucanis horis.* Hunc usum rarum esse neque apud optimos scriptores exstare, grammatici commonent [2]). Quod autem apud quosdam posteriorum scriptorum fit, ut pro primaria sen-

[1]) Cfr Krebs. s. v. *auctor* pag. 223.

[2]) Madv. § 428 ann. 3.

tentia enuntiationis conditionalis ponatur participium futuri activi, apud Celsum non est. De participiis substantivorum loco positis supra locutus sum.

Pro enuntiatione concessiva ponuntur participia cum particula *quamvis* conjuncta IV, 5 in. *Aliud autem, quamvis non multum distans, malum gravedo est.* V, 26, 34 p. 198, 24 *Gravia quoque, quamvis reprimentia, aliena sunt.* Unum exemplum inveni, ubi similiter adjectivum adhibetur: II, 10 p. 53 fin. *tum quoque, quamvis pejor, sola tamen occasio non omittenda est* [1]).

Participia in ablativis absolutis cum particulis conjuncta pro secundariis enuntiationibus usurpantur, cum *nisi* non raro, velut III, 18 p. 99, 17 *nisi febre intenta.* II, 22 p. 112, 28 *nisi tussi finita;* cum *quasi* III, 4 p. 80 fin. *quasi levioribus accessionibus instantibus;* cum *tamquam* III, 18 p. 99 in. *tamquam tenebris ipsis terrentibus;* cum *utpote* VII, 18 fin. *utpote alimento amisso* [2]).

De particulis.

Restat, ut de particularum usu ea afferam, quæ apud Celsum inveni observatione digna.

De adverbiis et conjunctionibus.

Abunde a Celso cum verbo *esse* conjungitur, ut a Columella, Tacito, Plinio minore. Prorsus idem videtur significare atque *satis* [3]). Sequitur autem semper infinitivus. I, 3 p. 16, 31 *Huic abunde est loco tepido demittere se inguinibus tenus in aquam calidam.* IV, 20 p. 146, 16 *id enim duobus aut tribus locis satis est; ex ceteris spiritum evocare abunde est.* V, 25, 2. VI, 7, 8 fin. VII, 14 p. 291, 18. VIII, 9 in.

Adeo conclusioni inservit III, 4 p. 81, 19 *Adeo apparet, quacumque ratione ad numerum respeximus, nihil rationis sub illo quidem auctore reperiri.* III, 15 p. 96, 20 *Quod ut sustinere aliquis possit, tamen etiam febre liberatus vix refectioni valebit: adeo si febris sæpius accesserit, concidet.* De hoc usu, cujus apud Ciceronem et Cæsarem

[1]) Cfr Madv. gramm. § 424 ann. 4 et § 443 ann., et quæ de hac re idem disputavit ad Cic. Fin. 5, 23, 68.

[2]) Vid. Madv. gramm. § 428 ann. 2. Cfr præterea Dræger., «Ueber Syntax und Stil des Tacitus», Lips. 1868, pag. 72.

[3]) Cfr Hand. s. v. pag. 71.

nullum invenitur exemplum, disputavit Handius Tursell. s. v. pagg. 150 sqq. — *Adeo non* præcedentibus partt. *ne* — *quidem* ponitur eadem significatione atque *nedum*, id quod apud Tacitum fit et alios posterioris ætatis scriptores[1]): II, 6 p. 38, 10 *Quin etiam — Democritus ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse proposuit, quibus medici credidissent, adeo illud non reliquit, ut certa aliqua signa futuræ mortis essent.* Idem altero etiam loco hæc verba videntur significare, insolentius collocata: IV, 11 p. 135 in. *Id Asclepiades adeo non prodesse, etiam inimicum esse proposuit.* — *Adeo non, ut* pro eo quod apud veteres est *tantum abest, ut — ut*, scriptum est II, 10 p. 54 fin. *eaque missio sanguinis adeo non prodest, ut etiam noceat.* V, 26, 25 invenitur *adeo nihil, ut*, interposita tamen sententia affirmativa: *Adeo tamen nihil perpetuum est, sed semper pro vi corporis æstimandum, ut imbecillitas etiam cibum protinus facere necessarium possit.*

Adhuc de eo usurpatur quod usque ad certum temporis finem factum est, velut VIII, 1 p. 327 in. *cetera ossa, de quibus adhuc dixi;* multo autem sæpius hæc quoque significatio huic particulæ subjecta est, ut aliquid certo quodam tempore nondum finitum esse dicatur, sed *etiamnunc* vel *etiamtum* manere. Appositum est et verbis finitis, velut V, 26, 34 in. *Gangrænam vero, si nondum plane tenet, sed adhuc incipit, curare non difficillimum est.* VIII, 15 in. *si vel puerile adhuc est corpus, vel molle certe;* et participiis vel adjectivis, id quod apud Livium et posteriores scriptores fit, velut I prooem. p. 7 fin. *Si quid tamen sit, quod adhuc spirante homine conspectui subjiciatur.* III, 4 p. 81, 28 *inclinata quidem febre, sed adhuc tamen inhærente.* I, 10 in. *Est etiam observatio necessaria, qua quis in pestilentia utatur adhuc integer.* II, 1 p. 30, 24 *infantes tenerosque adhuc pueros.* II, 7 p. 42, 21 *robusto adhuc corpore*[2]). — *Adhuc* a Celso pro *etiam* comparativo non apponi, supra annotavi.

Alias, quam particulam a Cicerone et omnibus ante Plinium majorem scriptoribus de tempore, non de loco usurpari, Madvigius contendit[3]), apud Celsum non raro i. s. q. *alio loco:* IV, 2 in. *Nam oculorum, aurium, dentium dolor et si quis similis est, alias erit explicandus.* V, 28, 11 p. 212, 7 *qualia et alias, et paulo ante in erysipelate proposui.* VII, 2 p. 264, 27. VII, 2 fin. VII, 7, 13 in. VII, 10 in. VII, 12, 3 in. VII, 15 in. VII, 30, 1. VII, 30, 3 fin.

---

[1]) Hand. s. v. pag. 154.

[2]) Cfr quæ de hac particula disputarunt Hand. s. v. et Madv. ad Cic. Fin. 5, 5, 16 pag. 629.

[3]) Madv. ad Cic. Fin. 1, 3, 7. Cfr Hand. s. v. pag. 224.

Alioqui, alioquin pro eo quod est *ceterum*, *præterea* invenitur nonnullis locis: IV, 27, 1 in. *Si diutius aut jacet aut alioqui jacere consuevit.* V, 26, 25 fin. *Multique etiam — vino reficiendi sunt, quod alioqui inimicissimum vulneri est.* V, 26, 24 fin. V, 26, 36 fin. V, 28, 17 fin. VIII, 4 p. 333 extr. Ceteris locis, quos Matthiæ in lexico attulit, nunc lectio mutata est. Hoc verbum quum in libris Ciceronis uno loco exstet Legg. 2, 25, 62, ubi tamen Handius[1]) alii codicum scripturam mutandam esse putaverunt, neque apud Plautum, Ter., Sall., Cæs. usquam inveniatur, contra apud Liv. et posteriores scriptores satis frequens est.

Aliter aliterque, qua verborum conjunctione scriptores post Augustum utuntur[2]), apud Celsum est III, 3 fin. *quum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt.* III, 21 in. VII, 7, 1. — VII, 17, 1, qui locus a Matth. allatus est, nunc scriptum est *aliter ab aliis.*

An ex more recentiorum scriptorum usurpatur eodem modo quo *num* in indirectis sententiis interrogativis. I prooem. p. 3 fin. *neque interesse, an nunc jam pleraque explorata sint, si a consilio tamen coeperunt.* VII, 33 in. *interest, an.* III, 18 p. 99, 27 *deliberari potest, an.* VI, 18, 2 p. 254, 13 *experiendum, an.* VII, 16 in. *considerandum est, an.* VII, 26, 2 p. 307 fin. *cognoscitur, an.* VII, 26, 2 p. 309 fin. *appareat, an.* VIII, 2 p. 329, 31 *dubium est, an.* VIII, 4 in. *potest dubitari, an.* Apud Celsum igitur *dubito an* idem est quod *dubito num*, neque umquam aut huic locutioni affirmativam quandam vim subjicit, aut altera utitur, quæ apud veteres scriptores frequentatur, *haud scio an.* Annotandum autem etiam est, in disjunctiva interrogatione poni *an — an*, ubi exspectes *utrum — an:* III, 2 in. *Videndum etiam est, morbus an increscat, an consistat, an minuatur*[3]). Locus, quem e Celso afferunt et Klotzius in lexico et Handius s. v., III, 6 p. 87, 24, nunc mutatus est excluso priore *an.*

Et sæpe positum est pro *etiam*, velut III, 22 p. 112 fin. *ceteris diebus bibenda aqua, tum et vinum, si tussis non est, potui frigidum dandum.* — Insolentius in enumeratione ultimum membrum per part. *et* additur I, 3 p. 18, 21 *vomitus, dejectio, acidæ res — et vini non præfrigidi potio.* II, 18 fin. *Ergo imbecillis hominibus rebus infirmissimis opus est, mediocriter firmos media materia optime sustinet, et robustis apta validissima est.* II, 32 *præcipueque pulegium, ruta et cepa.*

---

[1]) Tursell. s. v. pag. 236. Cfr præterea Seyffert., Pal. Ciceron. pag. 13.
[2]) Hand. s. v. pag. 275.
[3]) De hoc usu vid. Hand. s. v. pag. 307 sqq. Cfr Krebs. s. v., qui non recte dicit *an — an* ita a poetis solum augusteæ ætatis usurpari.

Etiamnum usurpatur de re adjicienda, ut idem sit atque *etiam*, *præterea*, *porro*. Hic usus quum scriptorum sit, qui post Augusti ætatem fuerunt[1]), apud Celsum non raro invenitur. V, 26, 20 in. *His cognitis etiamnum quædam alia noscenda sunt.* VII, 4, 4 in. *Propriam etiamnum animadversionem desiderant eæ (fistulæ), quæ —.* VII, 29 p. 318, 28 *Aliæque etiamnum difficultates faciunt, ut —.* IV, 2 p. 123, 23. V, 19, 28. VI, 6, 2. VII, 6 in. VII, 7, 7 in. VII, 26, 2 p. 308, 18. Ib. p. 309, 14. Ib. p. 310, 7. — *Etiamnum* comparativis adjungi, supra annotatum est.

Frustra pro adjectivo ponitur cum verbo *esse*, ut fit apud Plautum, Liv., historiarum scriptores: III, 2 p. 76, 13 *quia curatio minus iis prodest, in quibus assidue frustra fuit.* VIII, 20 p. 359 fin. Uno loco idem est atque *falso*, quam significationem præter Celsum apud Ter., Tac. inveniri dicit Handius[2]): VIII, 4 p. 333, 21 *ne, quum in quosdam naturales sinus inciderit, opinionem fracti ossis frustra faciat.*

Haud. Annotandum videtur esse, hanc negationem apud Celsum nisi uno loco non inveniri: VII, 9 p. 285, 7 *haud omnino.* Etiam apud Quintilianum hæc part. admodum rara est: 1, 1, 4. 10, 1, 85. 10, 3, 26[3]).

Intrinsecus, rariorem formam pro part. *intus*, Celsus habet IV, 1 p. 121, 13 *Jecur — intrinsecus cavum, extrinsecus gibbum.*

Ita demum ut apud recentiores scriptores ponitur pro eo quod est *tum demum* III, 21 p. 107, 26 *nam si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secundæ valetudinis spes est.* Alter locus, quem ex prooemio libri primi affert Handius[4]), nunc mutatus est.

Juxta et pro adverbio et sequente accusativo Celsus de loco usurpat; semel hæc particula insolentiore significatione de tempore ponitur, ut idem sit atque *statim post:* II, 16 in. *neque enim convenit juxta inediam protinus satietatem esse.*

Ne pro *ut non* aliquot locis. III, 14 *sic enim fore, ne —.* III, 17 *sæpe fit, ne —.* IV, 32. VI, 7, 8 in. — IV, 8 in. *accessit id quoque, ne —.* VI, 6, 9 fin. *At si induruit (oculus) et sic emortuus est, ne in pus verteretur.*

---

[1]) Hand. s. v. pag. 585.

[2]) S. v. pag. 747.

[3]) Törnebladh, De usu particularum apud Quintilianum. Holm. 1861. pag. 50. Cfr præterea quæ de hac particula exposuit Dræger, "Historische Syntax der lateinischen Sprache", pag. 113 sqq.

[4]) S. v. *demum* pag. 255.

Nec, quod pro *ne — quidem* usurparunt Liv. et posteriores script., apud Celsum ea significatione non invenitur. Nonnullis etiam locis, ubi olim scriptum erat *nec — quidem*, recentiores editores posuerunt *ne — quidem*, præterquam quod Ritter duobus locis (I, 4 fin. VIII, 1 in.) antiquam scripturam retinuit.

Neque, *nec* pro *neve* præcedente *ut* invenitur I, 3 p. 21, 19 *ut et sitim tollat nec corpus incendat.* III, 19 p. 103, 23 *ut nutriat neque oneret.* VIII, 3 p. 332 in. *ut quandocumque os perrumpatur, sentiamus neque periclitemur, ne —.* I prooem. p. 12, 10 *præcipiunt, ut conquiescat — ac neque vomitu stomachum neque purgatione alvum sollicitet*[1]. Cfr VIII, 13 extr. *ut res indiciis cognosceretur et non putarent sibi medicum defuisse, si qui sic aliquem perdidissent.* Cfr etiam III, 14 *nec vinum nisi post accessionem diei septimi bibat*, ubi *nec* positum est pro *ne autem.*

Non pro *ne* ponitur post particulam quæ est *dum* V, 18, 23 *dum id siccius non faciat, quam esse malagma oportet.* I, 3 p. 18, 32 idem fit, quia *non* cum sequente particula *nisi* arcte conjunctum est: *dum et modo, et non nisi quum opus est, adhibeantur.* Nam satis sæpe a Celso una collocantur *non nisi*, ita ut unius particulæ vim tenere videantur, velut II, 16 in. *Abstinentiæ vero duo genera sunt, alterum ubi nihil assumit æger, alterum ubi non nisi quod oportet.* Ciceronem partt. *non nisi* ita semper ponere, ut intercedant inter eas aliqua verba, satis notum est[2].

Præcipue. Quod apud Quintilianum fieri dicit Handius[3], ut ad *præcipue* ita apponatur *que* conjunctio, ut hæc particula non universam sententiam nectat aut continuet, sed cum *præcipue* arctius conjuncta ad rem aliquam præ ceteris efferendam usurpetur, id apud Celsum quoque sæpissime fit, velut I, 3 fin. *Itaque neque sine veste neque sine calceamentis prodire oportet, præcipueque diebus frigidioribus.* VIII, 4 p. 333 fin. *magno ingenio multaque nihilominus habituro convenit etiam simplex veri erroris confessio, præcipueque in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur.* — *Præcipue* a posterioribus script. pro *præsertim* conjunctionibus adjungi, annotaverunt Krebs. s. v., Hand. s. v. Apud Celsum valde frequens est *præcipueque si*, velut III, 7 in. *Si vires sinunt, sanguinem mittere optimum est, præcipueque si cum dolore febris est;* uno loco invenitur *præcipueque quia* VII, 5, 2 in. *Sæpius itaque ab altera parte, quam ex*

---

[1]) Cfr quæ de simili loco disputavit Madv. ad Cic. Fin. 4, 4, 9 p. 492.
[2]) Cfr Hand. s. v. pag. 251.
[3]) S. v. *præcipue* pag. 530.

qua venit (sagitta) recipienda est, præcipueque quia fere spiculis cingitur. Apud Ciceronem invenitur *præcipue quod* Verr. 4, 37, 81.

Part. *protinus* ut apud Quint. et Plin. maj., ita apud Celsum frequentissima est[1]). Sæpissime dicitur *protinus initio*, *pr. inter initia*, *inter principia pr.*, velut III, 2 in. *Protinus autem inter initia scire facile est, quis acutus morbus, quis longus sit.* Sæpe etiam conjungitur cum *ab* præpositione, velut III, 9 fin. *Neque ideo tamen non est temeraria ista medicina, quia plures, si protinus a principiis excepit, interimit.* III, 5 p. 84, 14. *Quæ res efficit, ut et a primo die protinus cibus dari quotidie debeat.* Neque vero de tempore solum hæc particula usurpatur, sed etiam adjuncta negatione ponitur in concludendo: I prooem. p. 10 fin. *Neque enim, si quis non omnia tenet, quæ rationalis alius probat, protinus alio novo nomine artis indiget.* II, 6 p. 38, 17 *nec protinus crimen artis esse, si quod professoris sit.* II, 10 p. 52, 22 *Non quidquid autem intentionem animi et prudentiam exigit, protinus ejiciendum est.* II, 25 fin. *Ex his autem intelligi potest, non quidquid boni succi est, protinus stomacho convenire, neque quidquid stomacho convenit, protinus boni succi esse.* Cfr III, 6 p. 86, 13. Ita Quintilianus quoque hoc verbo usus est.

Prout — ita, quam conjunctionem scriptorum inferioris ætatis esse dicit Handius, apud Celsum est uno loco: IV, 11 p. 134, 12 *prout sedes ipsa est, ita varia et periculosa genera morborum sunt.*

Qualiter, quæ vox poetarum est et posteriorum script., uno loco invenitur: I prooem. p. 4, 31 *qui prius illa ipsa qualiter eveniant perceperit.*

Quamquam, *quamvis*. De usu modorum post has particulas supra locutus sum pag. 32. *Quamvis* participio vel adjectivo apponi, annotavi pag. 35.

Quandoque eadem significatione atque *aliquando* apud Celsum VI, 6, 1 inveniri dicunt Matthiæ et Klotzius (qui laudat etiam VII, 18 fin.); sed utrobique recentiores lectionem mutarunt. Priore autem loco, ubi Daremb. (pag. 225, 21) scripsit *quandocumque*, apud Ritt. et Targam invenitur *quandoque* relativa significatione: *Quandoque finitur (lippitudo), pituita alba et mollis esse incipit;* quem usum, ut apud Ciceronem non sit, ita apud poetas et posteriores script. frequentari, Madvigius docuit[1]).

Quippe apud Celsum nusquam invenitur. Ubi majore vi erat efferenda sententia causalis, ad *quum* apposuit *præsertim* tribus locis:

---

[1]) Cfr Hand. s. v. pag. 623.

[2]) Ad Cic. Fin. excurs. VI, pag. 833.

I prooem. p. 7, 18; III, 2 p. 76, 29; VII, 29 p. 317, 15; duobus locis *utpote:* I prooem. in., III, 1 p. 74, 21. *Utpote* uno loco participio adjunctum esse, supra commemoravi.

Quo vi causali videtur non solum cum negatione usurpari, sed etiam in affirmativa sententia, quem usum nusquam vidi commemoratum. Exempla supra vid. in iis, quæ de modorum usu in formula quæ est *non quod — sed quia* annotavi. Et tamen dubitare licet, an pro *quo* talibus locis scribendum sit *quod,* quum et diversa fere editores exhibeant, et codicum scriptura in tali re admodum incerta sit[1]).

Quum interim uno loco est sequente conjunctivo eadem significatione atque *quum tamen:* V, 28, 2 p. 207 in. *neque ulli umquam medicina profecit, sed adusta protinus concitata sunt et increverunt, donec occiderent —; quum interim plerique nullam vim adhibendo —, quominus ad ultimam senectutem perveniant, non prohibeantur.* Handius autem falso contendit[2]), post hanc locutionem semper poni indicativum. Et apud Quintilianum quidem indicativus etiam iis locis sequitur, ubi exspectandus erat conjunctivus, quia inest in particula *quum* concessiva vis (Quint. 10, 1, 18. 10, 1, 111. 12, 10, 67). Contra Cic. Sull. 5, 16: *quum interim Sulla cum iisdem illis non modo noctem solitudinemque non quæreret, sed ne mediocri quidem sermone et congressu conjungeretur;* qui locus consimilis ei est, quem supra ex Celso attuli.

Si interrogativæ particulæ vim tenet uno loco[3]) V, 28, 12 p. 213 extr. *id quoque disci potest, si jam necne eo fistula penetraverit,* quamquam h. l. Targa incertam esse dicit codicum scripturam. — Quum significandum erat, ita præsertim aliquid verum esse, si hoc vel illud factum esset, Celsus ad conditionalem sententiam, per part. *si* inductam, nusquam apposuit *præsertim,* sed locutionibus usus est, quæ sunt *magis si, magisque si, maxime si, præcipueque si* (vid. quæ de hac particularum conjunctione paulo supra annotavi), *utique si. Magis si,* quod Handius[4]) dicit recentiorum scriptorum esse, apud Celsum valde frequens est, velut II, 8 p. 48, 24 *Cui vero sano subitus dolor capitis ortus est —, intra septimum diem pereundum est, magis si, quum alvus cita non antecesserit, palpebræ dormientis non coeunt, sed album*

[1]) Cfr de significatione particulæ *quo* Schultz., l. l. § 350.

[2]) Hand. s. v. *interim* pagg. 423 et 429. Cfr Zumptium ad Quint., in vol. 5 editionis Spalding., pag. 411; Spaldingium ad Quint. 12, 10, 67.

[3]) Cels. III, 18 fin., ubi olim scriptum erat *Interest etiam, si ipse sine causa subinde rideat, an moestus demissusque sit,* Targa et recentiores editores pro *si* posuerunt *is.*

[4]) S. v. *magis* pag. 560.

oculorum apparet. II, 6 p. 36 fin. *Dolores etiam circa coxas et inferiores partes orti, si ad viscera transierunt subitoque desierunt, mortem subesse testantur, magisque si alia quoque signa accesserunt.*

Subinde, quam particulam Livius primus videtur usurpasse, apud Celsum valde frequens est.

Tamquam non comparationi inservit, sed causali vi ponitur pro particula *ut* II, 14 in. *De frictione vero adeo multa Asclepiades, tamquam inventor ejus, posuit in eo volumine* cet. Et causæ significationem iis quoque locis habent et *tamquam* et aliæ particulæ comparativæ, ubi per has partt. inducitur id, quod alius quis vel sentit vel dicit. Ita I prooem. p. 2, 25 *rerum quoque naturæ cognitionem sibi vindicarunt, tamquam sine ea trunca et debilis medicina esset.* III, 4 p. 80, 25 *eosque (dies), tamquam tunc de ægris judicaretur, κρισίμους nominabant.* III, 18 p. 99 in. *At Asclepiades, tamquam tenebris ipsis terrentibus, in lumine habendos eos dixit.* Eodem modo usurpatur *quasi* III, 4 p. 80, 33 *deinde postea cibum, quasi levioribus accessionibus instantibus, darent.* Ib. p. 81 in. *ipsi sibi repugnabant non octavum neque decimum neque duodecimum diem sumendo quasi potentiorem.* *Velut* V, 17, 1 *Itaque contentus iis (compositionibus) ero, quas accepi velut nobilissimas.* Hic usus, qui ad similitudinem græcæ part. ὡς proxime accedit, apud Tacitum maxime invenitur, velut Annal. 12, 39 *Ostorius concessit vita, lætis hostibus, tamquam ducem haud spernendum, etsi non proelium, at certe bellum absumpsisset.* 14, 65 *Doryphorum quasi adversatum nuptiis Poppææ, Pallantem, quod immensam pecuniam longa senecta detineret, veneno interfecisse creditus est.* Apud Plinium minorem ita usurpatur part. *tamquam.* Cfr quæ in Philologo XXIV pag. 115 sqq. de his particulis disputavit E. Wölfflinius. Exempla Tacitea collegit Dræger[1]).

Ut insolentius positum est V, 28, 1 fin. *certaque esse fiducia potest fere, ut undique vitiosa caro excidat.* Ita scribunt Targa, Daremb., codd. secuti; recte tamen puto Ritt. pro *fere* posuisse *fore.*

Utique apud veteres scriptores raro poni in negativis sententiis, in lexicis annotatur. Apud Celsum ita positum est I, 8 *Neque credendum utique nostris est.* III, 1 in. III, 7, 2 p. 89, 26. III, 18 p. 101, 8. VII, 7, 3 in. VIII, 4 p. 334, 4.

De collocatione adverbiorum et conjunctionum annotandum est, apud Celsum part. *igitur* multo sæpius initio sententiæ poni, quam post unum vel duo verba præmissa[2]). Contra part. *itaque* nonnullis

---

[1]) "Ueber Syntax und Stil des Tacitus" pag. 59.

[2]) Cfr Hand. s. v. pag. 197. Spalding. ad Quint. 1, 5, 39.

locis uni vel duobus verbis postponitur[1]). — *Quoque* post eam vocem, ad quam pertinet, positum est II, 8 p. 45, 21 *quoque menstrua.* Ib. p. 48, 33 *quoque tussis.*

De præpositionibus.

Insolentius Celsus duas præpositiones cum eodem verbo conjunxit II, 6 p. 36, 30 *aut ante aut in ipso morbo;* II, 7 fin. *vel ante vel circa vicesimum diem;* VIII, 1 p. 325, 13 *supra infrave eum (dentem).* Tamen est observandum, in iis, quæ attuli, exemplis eam præpositionem, quæ substantivo caret, talem esse, quæ etiam pro adverbio usurpari possit. Admodum autem raro apud Latinos fieri, ut eidem verbo duæ præpositiones apponantur, grammatici docent[2]).

Præpositione sola duo substantiva a Celso non raro conjungi, supra commemoravi, ubi de brevitate ejus sermonis locutus sum.

Ante omnia satis frequenter et temporalem vim habet, ut significet id, quod primum faciendum est, velut VII, 30, 2 *Alvus ante omnia ducitur*, et ita positum invenitur, ut idem valeat atque *præcipue*, velut I, 3 p. 18 in. *Ante omnia autem norit quisque naturam sui corporis.* Hanc significationem a Livio, illam apud Quintilianum maxime frequentari, docent Hand. s. v., Klotz. in lexico s. v.

Circa (quæ forma apud Celsum multo frequentior est quam *circum*, quod tribus locis invenitur) et de tempore usurpatur et cum verbis, quæ modum vel numerum significant, reperitur conjunctum, ut intelligatur numerus vel mensura non accurate definita[3]). Ita Livius quoque et posteriores. IV, 26 p. 151, 24 *deinde panis circa selibram ex vino amineo mero sumere.* VII, 15 fin. *circa singulas heminas.* De tempore sæpius: II, 1 p. 30 extr. *primum circa quadragesimum diem — postea circa pubertatem.* II, 6 p. 37, 24. II, 7 p. 40, 8. Ib. p. 43, 34. Ib. p. 44, 13. IV, 32 in.

Citra a Celso nusquam de loco usurpatur, sed translata significatione i. s. q. *sine*, *non cum* v. t. q. Ita sæpe Quintilianus et major Plinius[4]). I, 2 p. 15, 5 *lassitudo*, *quæ citra fatigationem sit.* I, 6 in. *ungi citra sudorem.* IV, 12 p. 136, 23 *adhibendi lenes et glutinosi cibi*, *sed citra satietatem.* IV, 30 fin. *Omnes autem ejusmodi dolores*, *ubi inveteraverunt*, *vix citra ustionem finiuntur.* V, 28, 14 in. *citra magnitudinem fabæ ægyptiæ.* VI, 18, 3 in. *Hæc citra cancrum sunt.*

---

[1]) Cfr Hand. s. v. pag. 509.
[2]) Nägelsbach. l. l. pag. 349. Berger, "Lateinische Stilistik" § 57.
[3]) Hand. s. v. pagg. 64, 65.
[4]) Hand. s. v. pag. 83.

Cum. In addenda conditione Celsus sæpe utitur locutione *cum eo* sequentibus particulis *quod*, *ut*, *ne*. Ita locutos esse Livium et scriptores posterioris ætatis, imprimis autem Celsum, Hand. auctor est[1]); Ciceronis unum exstat exemplum Att. 6, 1, 7 *cum eo quod.* Cels. VII, 27 p. 314 extr. *Sub quibus perveniri ad sanitatem potest, cum eo tamen quod non ignoremus, orto cancro sæpe affici stomachum.* — *Cum eo, ut* invenitur II, 11 fin. *cum eo tamen ut sciamus.* III, 5 fin. III, 22 p. 111, 14. III, 24 fin. IV, 13 p. 139, 5. VI, 2 fin. VII, 2 p. 265, 14. *Cum eo, ne* I, 3 p. 19, 18 *cum eo tamen, ne quis, qui valere et senescere volet, hoc quotidianum habeat.* II, 17 p. 62, 33. VII, 7, 7. VII, 22 in.

Ex non solum de materia usurpatur, unde aliquid confectum est, velut *panis ex milio*, *ex frumento potio* sim., sed etiam de ea re dicitur, quacum commixtum vel conjunctum aliquod medicamentum ægris datur. Hic usus ut medicorum proprius est[2]), ita apud Celsum frequentissime occurrit: II, 27 *præcipueque acetum (refrigerat), sive cibus ex eo sive potio assumitur;* IV, 2 p. 124 med. *aqua calida vel salsa, vel ex lauro decocta;* et in talibus locutionibus, quales sunt *panis ex vino*, *panis ex aqua frigida*, *acetum ex scilla*, *porrum ex aceto*, *asparagus ex sinapi* cet.

Inter. Inter initia, *inter principia* ut apud Plin. maj. et Suetonium, ita apud Celsum frequentissime occurrunt[3]). Sæpe apponitur particula *protinus* (cfr quæ de hac part. supra annotavi). — *Inter hæc*, *inter quæ* pro *interea*, quod auctorum augusteæ ætatis esse Handius dicit[4]), apud Celsum raro inveniuntur, velut VIII, 10 p. 351, 25 *inter hæc*, IV, 5 p. 126, 22 *inter quæ.*

Intra non solum de loco et de tempore dicitur, sed etiam translata notione ad modum vel finem significandum cum talibus verbis conjungitur, quæ nullam ipsa habeant loci vel finis significationem (apud Ciceronem dicitur *intra legem*, *intra modum*, apud Livium *intra finem sui juris).* Ita locuti sunt Quint., Plin. min., posteriores. Apud Celsum non raro: I prooem. p. 11, 7 *medicina intra usum est.* III, 9 p. 91, 14 *intra hæc omnis ejus medicina erat.* III, 15 fin. *intra quietem et unctionem et cibum sistendum est.* III, 18 p. 98, 25 et 30 *intra verba desipiunt.* III, 24 fin. *intra aquam manere.* IV, 13 in. *intra dolorem.* V, 17 in. *intra paucas compositiones.* — *Intra* adverbii loco

1) S. v. *cum* pag. 166.
2) Hand. s. v. pag. 633.
3) Hand s. v. pag. 402.
4) S. v. pag. 406.

positum est (argenteæ æt. script.) VII, 15 p. 292, 18 *ea pars*, *quæ intra (est).*

Ob id pro *ideo* III, 22 p. 111 fin. VII, 12, 4 in. VIII, 18 p. 295 fin. VII, 26, 3 fin. VIII, 3 p. 331, 27. *Ob id ipsum* VII, 4, 4 in. VIII, 1 p. 324 in. *Ob hæc* I prooem. p. 8, 7. III, 5 p. 83, 21. *Ob quæ* I prooem. p. 12, 27. III, 24 fin. V, 28, 2 p. 206, 32. Ita jam inde a Livio locuti sunt recentiores scriptores [1]).

Per omnia i. a. *in omnibus rebus*, *omnino* III, 4 p. 78 fin. *quo magis falluntur*, *qui per omnia jucundam ejus disciplinam esse putant.* III, 5 p. 83, 29 et 30. VIII, 1 p. 328, 25. Hic usus apud Livium est et posteriores script. [2]).

Post id pro *postea* VII, 22 fin. *Post hæc* sæpissime. *Post quæ*, quod Celsum sæpe usurpasse, alios non item, Hand. affirmat [3]), invenitur IV, 5 p. 126, 33. IV, 5 fin. V, 26, 31 in. V, 27, 2 in. V, 27, 12. VI, 13 fin.

Præ. Annotandum videtur esse, hanc particulam apud Celsum non inveniri nisi uno loco VI, 6, 29 *et noctu (oculi) præ gravi pituita inhærescunt;* ubi tamen credo recte Ritterum scribere *prægravi.*

Præter hæc pro *præterea* apud Celsum frequentissimum est. Hac locutione usi sunt poetæ antiquissimi et scriptores augusteæ ætatis [4]).

Pro insolentius apponitur verbo *metuendi* III, 11 in. *admovenda partibus iis*, *pro quibus metuimus*, *sicca et calida fomenta.*

Sine. Insolentius apud Celsum nonnullis locis dicitur *sine voluntate:* II, 4 p. 34 in. *mali etiam morbi testimonium est — sine voluntate lacrimare.* II, 7 p. 41 in. V, 26, 17. VIII, 13. VIII, 14. In lexicis nullum hujus locutionis exemplum allatum vidi.

Sub sequente ablativo de tempore raro usurpari commonent grammatici. Apud Celsum fit satis sæpe, velut I, 9 in. *sub dolore*; II, 3 fin. *sub fine morbi;* III, 12 p. 94 in. *sub exspectatione proximæ accessionis;* III, 18 p. 100, 20 *sub somno;* IV, 5 p. 126, 14 *sub gravedine;* VI, 18, 8 *sub his curationibus;* VII, 14 p. 290, 26 *sub omni calore;* VII, 33 fin. *sub ejusmodi curatione;* VIII, 4 p. 335, 24 *sub prima curatione;* VIII, 10 p. 345, 13 *sub inflammatione.* Tum vero *sub* sæpissime usurpatur iis locis, ubi exspectes vel ablativum solum vel alias præpositiones *(in*, *cum*, *per)*, ut significetur, quo modo vel qua de causa aliquid fiat. Hujus usus, qui posteriorum scriptorum est, exempla nonnulla afferam. I prooem. p. 9, 30 *sub auctore*, *ut ipsi videri*

[1]) Hand. s. v. pag. 361.
[2]) Hand. s. v. pag. 447.
[3]) S. v. pag. 495.
[4]) Hand. s. v. pag. 542.

volunt, Themisone (cfr VI, 18, 9 fin.). III, 6 p. 86, 13 *non protinus autem sub calore motuque febrem esse concipere.* V, 26, 31 fin. *sub frigido sudore moriuntur.* VI, 18, 2 fin. *sub quo casu* (VII, 7 p. 340, 16). VII, 5, 4 *sub omni ictu.* VII, 7, 6 in. *sub utroque vitio.* III, 8 *sub alterutro curantis errore.* IV, 2 in. *sub quo nomine nunc significo eam partem.* V, 28, 3 fin. *sub his* (sæpius). VII, 27 p. 314 fin. *sub quibus* (VIII, 25). VII, 20 in. *sub quo* (sæpius). Nonnullis etiam locis *sub* sequente ablativo positum est pro enuntiatione secundaria, velut II, 10 fin. *Sed id evenire non potest sub eo medico, qui scit, ex quali corpore sanguis mittendus sit,* i. a. si medicus is est, qui —. III, 4 p. 81 med. *Adeo apparet, quacumque ratione ad numerum respeximus, nihil rationis sub illo quidem auctore reperiri,* i. a. si illum quidem auctorem secuti sumus.

Super i. s. q. *præter* II, 8 p. 45, 20 *Super tabem si mulieri suppressa quoque menstrua fuerunt* (cfr ib. p. 48, 24). V, 26, 31 *super inflammationem.* VI, 6, 1 p. 225, 30 *super magnum dolorem.* IV, 26 fin. *super id.* III, 19 p. 103, 18 *super hæc.* Cfr VI, 14 in. VII, 18 fin. VIII, 4 p. 335, 27. Ita locuti sunt Liv. et scriptores qui post eum fuerunt.

Supra verbis numeralibus additur, ut apud Livium, poetas, posteriores script., pro eo quod Cicero, Cæsar usurpant *plus, amplius*: IV, 5 p. 126, 24 *supra quinquagies.* VII, 7, 8 fin. *suturæ supra tres esse non debent.*

Ultra de tempore usurpatur II, 8 p. 47, 26 *ultra septimum diem.* V, 26, 26 *ultra tempus inflammationis.* Ita Sen. Quint. — Adverbium apud Livium et posteriores temporalem vim habet. Cels. VIII, 5 fin. *neque ultra fascia adhibenda est.*

Part. *usque* quum sæpius conjungatur cum *ad* præpos., nonnullis locis per se præpositionis vim tenet, quod raro et apud posteriores scriptores fieri dicit Krebs. s. v., III, 5 fin. *usque somni tempus.* III, 22 p. 111, 10 *usque sudorem.* IV, 26 p. 151, 27 *usque quintum diem.* V, 26, 34 in. *usque sanum corpus.* V, 28, 3 in. *usque ossa.* VII, 7, 15 in. *usque mortis diem.* VII, 25, 1 fin. *usque circulum.*